2 commemoraverat: cap. IV[12]. 4 Cap. IV[19]. 10 appetitus vindictae: hanc diffinitionem pluribus tribuit Thomas: Arist. *I De anima* 2 (403 a 30), *I Pars* q. 20 a. 1 ad 2; Arist. *II Rhet.* cap. 2 (1378 a 31), *I-II* q. 46 a. 1; August. *II Confess.* cap. 6 (PL 32,681), *I-II* q. 46 a. 2 sed c.; Ioh. Damasc. *II De fide* cap. 16 (PG 94,932 D; Bt 122), *Super III Sent.* d. 15 q. 2 a. 2 qc. 2 arg. 3. 20 Arist. *VII Ethic.* 6 (1149 a 25) sec. Thomam *I-II* q. 46 a. 4 ad 3. 27 tristitia de prosperitate: sec. Ioh. Damasc. *II De fide* cap. 14 (PG 94,932 B; Bt 121) ut refert Thomas *II-II* q. 36 a. 1 sed c.

[5] Cuius messem famelicus comedet, et ipsum rapiet armatus, et bibent sitientes divitias eius. [6] Nihil in terra sine causa fit, et de humo non orietur dolor. [7] Homo ad laborem nascitur et avis ad volandum. [8] Quamobrem ego deprecabor Dominum et ad Deum ponam eloquium meum,

ibi condemnantur, et quantum ad hoc dicit *et conterentur in porta*, idest per sententiam iudicum, nam iudices olim in portis sedere solebant. Et quia homines stulti in prosperitatibus nullum dubitant offendere, in adversitatibus non inveniunt adiutorem, et ideo subdit *et non erit qui eruat*.

Sed quia posset aliquis dicere 'non curo quicquid accidat filiis meis dum ego prosperitate fruar in hoc mundo', ideo secundo ponit mala provenientia ipsi stulto et in rebus et in persona dicens *Cuius messem famelicus comedet:* frequenter enim homines stulti divitiis abundantes pauperes opprimunt, qui plerumque gravamina sustinere non valentes quasi quadam necessitate ad rapiendum bona divitum cogun-
tur; et quia tales homines deliciose viventes solent per vitae delicias vigorem animi amittere et imbelles esse, de facili a pauperibus bellicosis destruuntur, unde sequitur *et ipsum rapiet armatus*, quasi absque omni resistentia. Et ut quod dixerat de mes-
sibus generaliter intelligatur, subiungit *et bibent sitientes divitias eius*, idest homines cupidi.

Remotis igitur praedictis obiectionibus, finaliter rationem inducit ad probandum principalem intentionem, scilicet quod adversitates in hoc mundo non proveniant alicui nisi pro peccato, et est ratio talis: quaecumque fiunt in terra, ex propriis et determinatis causis proveniunt; si igitur adversitates in hoc mundo alicui accidant, hoc habet determinatam causam, quae nulla alia videtur esse nisi peccatum; hoc est ergo quod dicit *Nihil in terra sine causa fit:* videmus enim omnes effectus ex determinatis causis procedere. Ex quo quasi concludens subdit *et de humo non orietur dolor*, et est metaphorica locutio: quaedam enim herbae sine semine producuntur de quibus dicitur quod eas humus sponte profert; quicquid igitur sine causa propria contingeret quasi sine semine, per quandam similitudinem metaphorice posset dici quod oritur de humo: dolor autem, idest adversitas, non orietur de humo, idest non est sine causa. Quod autem dixerat *Nihil in terra sine causa fit*, ex hoc praecipue redditur manifestum quod omnia habent dispositionem naturalem congruam propriae operationi, ex quo apparet quod dispositiones naturales rerum non sunt sine causa sed propter determinatum finem, et ideo dicit *Homo ad laborem nascitur et avis ad volandum*. Manifestum est enim quod quia proprius motus quem natura avis requirebat est volatus, oportuit avem habere ex sua natura instrumenta congrua ad volandum, scilicet alas et pennas; homo vero quia rationem habebat per quam proprio labore posset sibi omnia necessaria adiumenta conquirere, naturaliter productus est absque omnibus adiumentis quae natura aliis animalibus dedit, scilicet absque tegumento, absque armis et aliis huiusmodi quae sibi proprio labore parare poterat ex industria rationis.

Quamobrem ego deprecabor Dominum etc. Quia Eliphaz proposuerat omnia quae in terris fiunt determinatam causam habere et hoc probaverat per hoc quod res naturales apparebant esse dispositae propter finem, hoc autem, scilicet quod res naturales sunt propter finem, potissimum argumentum est ad ostendendum mundum regi divina providentia et non omnia agi fortuito, idcirco Eliphaz statim ex praemissis concludit de regimine divinae providentiae. Sciendum est autem quod providentia divina sublata, orationis fructus tollitur et cognitio Dei circa res humanas, quae tamen necesse est ponere ei qui regimen providentiae concedit; et ideo Eliphaz concludens dicit: ex quo omnia quae in terra fiunt sunt propter finem, necesse est concedere regimen providentiae, *Quamobrem ego deprecabor Dominum*, quasi oratione fructuosa existente utpote Deo disponente res humanas, *et ad Deum ponam eloquium meum*, utpote Deo cognoscente facta et dicta et cogitata humana; ad cuius confirmationem subiungit ea quae maxime divinam providentiam ostendunt.

Est autem sciendum quod illi qui providentiam negant omnia quae apparent in rebus mundi ex necessitate naturalium causarum provenire dicunt, utpote ex necessitate caloris et frigoris, gravitatis et levitatis et aliorum huiusmodi. Ex his ergo potissime providentia divina manifestatur quorum ratio

81 comedet] – dat F – dit β pVa commendet N co. γ(-Sv) 95 proveniant] proveniunt F β As perveniant Sv
98 accidant] – dunt F β 132 sunt] sint F β sR (*def.* pR)

73 in portis: cf. infra cap. XXIX[7], Deut. XVI[18], Prov. XXII[22], Ps. LXVIII[13]. 105 humus sponte profert: cf. Lev. XXV[5].
149 ex necessitate: cf. Thomas *De verit.* q. 5 a. 2 et *III Cont. gent.* cap. 64.

[9] qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero, [10] qui dat pluviam super faciem terrae et irrigat aquis universa, [11] qui ponit humiles in sublimi et maerentes erigit sospitate,

reddi non potest ex huiusmodi naturalibus principiis, inter quae unum est determinata magnitudo corporum huius mundi: non enim potest assignari ratio ex aliquo principio naturali quare sol aut luna aut terra sit tantae quantitatis et non maioris aut minoris; unde necesse est dicere quod ista dispensatio quantitatum sit ex ordinatione alicuius intellectus, et hoc designat in hoc quod dicit *qui facit magna*, idest qui res in determinata magnitudine disponit. Rursus si omnia ex necessitate principiorum naturalium provenirent, cum principia naturalia sint nobis nota haberemus viam ad inquirendum omnia quae in hoc mundo sunt; sunt autem aliqua in hoc mundo ad quorum cognitionem nulla inquisitione possumus pervenire, utpote substantiae spirituales, distantiae stellarum et alia huiusmodi; unde manifestum est non procedere omnia ex necessitate principiorum naturalium sed ab aliquo superiori intellectu res esse institutas, et propter hoc addit *et inscrutabilia*. Item quaedam sunt quae videmus quorum rationem nullo modo possumus assignare, puta quod stellae disponuntur secundum talem figuram in hac parte caeli et in alia secundum aliam; unde manifestum est hoc non provenire ex principiis naturalibus sed ab aliquo superiori intellectu, et propter hoc addit *et mirabilia:* sic enim differt inscrutabile et mirabile quod inscrutabile est quod ipsum latet et perquiri non potest, mirabile autem est quod ipsum quidem apparet sed causa eius perquiri non potest.

Sciendum est etiam quod aliqui posuerunt dispositionem rerum secundum quendam ordinem numeri a Deo procedere, utpote quod a primo uno simplici procedit tantum unus effectus primus in quo iam aliquid compositionis et pluralitatis habetur, et sic ex ipso procedunt duo vel tria quae sunt adhuc minus simplicia, et sic gradatim secundum eos progreditur tota rerum multitudo; secundum quam quidem positionem tota universi dispositio non est ex ordinatione intellectus divini sed ex quadam necessitate naturae; unde ad hanc positionem removendam adiungit *absque numero:* vel quia absque necessitate numeralis ordinis res in esse productae sunt, vel quia a Deo immediate innumerabilia nobis producta sunt, quod praecipue apparet in primo caelo in quo sunt plurimae stellae. Sic igitur Eliphaz ostendit productionem rerum esse a Deo et non ex necessitate naturae.

Consequenter ostendit et rerum factarum cursum divina providentia gubernari. Et primo in rebus naturalibus, ex hoc quod res naturales contemperatae esse videntur ad hominum et aliorum animalium usum, licet naturalis elementorum ordo aliud requirere videatur: si quis enim in elementis gravitatem et levitatem consideret, manifestum est naturaliter terram aquae subiacere, aeri vero aquam, aerem autem igni. Invenitur autem aliqua pars terrae discooperta ab aquis immediate aeri subiacere: aliter enim animalia respirantia in terra vivere non possent; et rursus ne terra ab aquis discooperta sua siccitate infructuosa et inhabitabilis redderetur, dupliciter humectatur a Deo: primo quidem per pluviam qua superficies terrae infunditur, et quantum ad hoc dicit *qui dat pluviam super faciem terrae;* alio modo quantum ad fontes, rivos et flumina, quibus terra irrigatur, quorum principium sub terra est sicut pluviae in alto, et quantum ad hoc dicit *et irrigat aquis universa*.

Deinde ostendit operationem providentiae etiam in rebus humanis. Et quidem si res humanae currerent secundum quod earum dispositio videtur exigere, nullum vel parvum in eis divinae providentiae vestigium appareret; sed rebus humanis alio modo currentibus, stulti qui superiores causas non considerant hoc casui et fortunae attribuunt, ex quorum persona loquitur Salomon Eccl. IX[11] dicens «Vidi sub sole nec velocium esse cursum nec fortium bellum nec sapientium panem nec doctorum divitias nec artificum gratiam, sed tempus casumque in omnibus»; Eliphaz autem in altiorem causam hoc refert, scilicet in providentiam Dei. Et primo quantum ad oppressos qui et de infimo elevantur in altum, et quantum ad hoc dicit *qui ponit humiles*, idest deiectos, *in sublimi*, et de dolore transferuntur ad gaudium, et quantum ad hoc dicit *et maerentes erigit sospitate*. Secundo quantum ad opprimentes, quorum duplex est genus. Quidam enim manifeste alios opprimunt per potentiam, et quantum ad hos dici-

235 et *om.* sN β Sv δ π

184 aliqui: Avicen. *IX Metaph.* cap. 4 (f. 104vb) sec. Thomam *De pot.* q. 3 a. 16. 208 naturaliter...subiacere: cf. Arist. *IV Phys.* 8 (213 a 1) et *IV De caelo* cap. 5 (312 a 25); ipse Thomas *De pot.* q. 4 a. 1 ad 4 et 20, *I Pars* q. 69 a. 1 ad 4.

[12] qui dissipat cogitationes malignorum ne possint implere manus eorum quod coeperant, [13] qui apprehendit sapientes in astutia eorum et consilium pravorum dissipat. [14] Per diem incurrent tenebras, et quasi in nocte sic palpabunt in meridie. [15] Porro salvum faciet egenum a gladio oris eorum, et de manu violenti pauperem: [16] et erit egeno spes, iniquitas autem contrahet os suum. [17] Beatus homo qui corripitur a Domino. Increpationem ergo Domini ne reprobes, [18] quia ipse vulnerat et medetur, percutit et manus eius sanabunt. [19] In sex tribulationibus liberabit te,

tur *qui dissipat cogitationes malignorum ne possint implere manus eorum quod coeperant*, quia scilicet in ipsa operis prosecutione impediuntur a Deo ne iniquam cogitationem possint perducere ad effectum; quidam vero per astutiam decipiunt, et quantum ad hos dicitur *qui apprehendit sapientes in astutia eorum*, inquantum scilicet ea quae astute cogitant in contrarium propositi eorum cedunt, *et consilium pravorum dissipat*, dum scilicet ea quae ab eis sapienter consiliata videntur, aliquibus impedimentis superinductis, ad effectum perducere non possunt; quandoque vero non solum astute consiliata impediuntur in opere, sed etiam eorum mens obscuratur ne in consiliando possint discernere meliora, unde subdit *Per diem incurrent tenebras*, quia scilicet in re manifesta omnino quid faciant nesciunt, *et quasi in nocte sic palpabunt in meridie*, idest in his quae nullo modo sunt dubia sic dubitabunt sicut in rebus obscuris.

Et ut haec ex divina providentia provenire videantur, subiungit utilitatem ex praemissis provenientem. Dum enim malignorum astutia impeditur, pauperes ab eorum deceptionibus liberantur, et hoc est quod subdit *Porro salvum faciet egenum a gladio oris eorum:* qui enim sunt astuti in malo blandis verbis et fictis alios seducere solent, quae quidem verba in nocendo gladio comparantur, secundum illud Psalmi «Lingua eorum gladius acutus». Cum vero operationes malorum potentium impediuntur a Deo, manifestum est etiam quod pauperes salvantur, unde sequitur *et de manu violenti pauperem*. Et ex hoc duo sequuntur, quorum unum est quod homines, qui ex se ipsis impotentes sunt, de divina potentia confidunt, tamquam Deo de rebus humanis curante, unde subdit *et erit egeno spes;* aliud est quod homines potentes et iniqui se ipsos retrahunt ne ex toto malignentur, unde sequitur *iniquitas autem contrahet os suum*, ne scilicet se ex toto effundat in perniciem aliorum.

Beatus homo qui corripitur a Domino etc. Sicut supra dictum est, Eliphaz in superioribus beatum Iob et impatientiae arguerat et praesumptionis super hoc quod se asseruerat innocentem, nunc autem desperationem ab eo nititur auferre ex qua verba illa provenire credidit quibus Iob vitam suam fuerat detestatus. Sciendum est igitur quod ex supra dictis quibus divinam providentiam tam circa res naturales quam circa res humanas asseruerat, hoc accipit tamquam notum quod omnes adversitates hominibus divino iudicio inducantur, sed quibusdam quidem ad ultimam condemnationem qui sunt incorrigibiles, quibusdam autem ad correptionem qui per adversitates emendantur, quos asserit esse beatos dicens *Beatus homo qui corripitur a Domino:* si enim correptio ab homine salubris est, qui tamen perfecte scire non potest mensuram et modum secundum quem possit esse salubris correptio nec est omnipotens ad mala removenda et bona tribuenda, multo magis reputari debet salubris et felix Dei omnipotentis et omnia scientis correptio. Ex qua sententia ad propositum concludit dicens *Increpationem ergo Domini ne reprobes*, quasi dicat: licet hanc adversitatem patiaris a Deo propter tua peccata, tamen debes aestimare quod hoc sit quasi quaedam Domini increpatio ad te corrigendum, unde non debes hanc adversitatem intantum reprobare quod propter hoc vitam tuam habeas odiosam.

Et praedictorum causam subiungit dicens *quia ipse vulnerat*, graviori adversitate, *et medetur*, auferendo mala et restituendo bona; *percutit*, leviori adversitate, *et manus eius*, idest operationes ipsius, *sanabunt*, idest liberabunt. Non ergo Eliphaz eum qui corripitur a Domino beatum asseruit propter futuram vitam, quam non credebat, sed propter praesentem, in qua post correptionem homo a Deo obtinebat immunitatem a malis et abundantiam bonorum. Unde consequenter de immunitate a malis subiungit dicens *In sex tribulationibus liberabit te,*

249 propositi] —ta γ —to δ π cedunt *scripsi. cum* Va] cedit F N β δ^1 reddunt γ(-As) reddit As *om.* π 279 se] *om.* pV^1 V^2 As δ(*def.* Pd) π *post* toto F^2 280 effundat] —dant pN V^1 Sv δ^1 —det Va offendat F^3 malignentur π 284 asseruerat *coni. cum* sN δ^1 π] arguerat F pN V^2 γ(-Sv) dixerat β^1 ostenderat Sv reputaverat Va 285 qua *scripsi. cum* sN Va] quo *cet.* 299 ad *om.* F pN F^2

269 Ps. LVI[5]. 282 supra: cap. 4 10 et 112. 315 non credebat: cf. infra cap. 7 12.

et in septima non tanget te malum. [20] In fame eruet te de morte, et in bello de manu gladii. [21] A flagello linguae absconderis, et non timebis calamitatem cum venerit. [22] In fame et vastitate ridebis, et bestiam terrae non formidabis. [23] Sed cum lapidibus regionum pactum tuum, et bestiae terrae erunt tibi pacificae. [24] Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum, et visitans speciem tuam non peccabis.

et in septima non tanget te malum: quia enim septenario dierum omne tempus agitur, solet septenario numero universitas designari, ut sit sensus quod ei qui a Domino corripitur post emendationem nulla nocebit adversitas. Et quia secundum eius sententiam quanto aliquis magis fuerit depuratus a culpa tanto minus adversitatem patitur in hoc mundo, ideo dicit *in septima non tanget te malum*, quasi ante emendationem homo ab adversitate non liberetur, cum autem incipit liberari ab ea tangatur sed non opprimatur Deo liberante, post perfectam autem liberationem omnino non tangatur. Quod quidem verum est quantum ad mentem, quae dum finem suum in rebus mundanis constituit adversitatibus mundanis opprimitur; cum ab eis amorem suum revocans Deum amare coeperit tristatur quidem in adversitatibus sed non opprimitur, quia spem suam non habet in mundo; cum autem totaliter mundum contempserit tunc eum adversitates mundanae vix tangunt. Non est autem haec sententia vera quantum ad corpus, sicut Eliphaz eam intellexit, cum perfectissimi viri interdum gravissimas adversitates patiantur, secundum illud Psalmi «Propter te mortificamur tota die», quod de apostolis inducitur.

Et quia septem tribulationes tetigerat, eas subsequenter enumerat. Sciendum est autem quod quandoque adversitas est ex aliquo periculo particulari alicuius personae, quod quidem quandoque est contra vitam corporalem eius, quae quandoque aufertur per subtractionem necessariorum, et quantum ad hoc dicit *In fame eruet te de morte*, quasi dicat: patieris quidem famem utpote increpatus a Domino sed ex hoc non pervenies ad mortem Deo te liberante; et haec est prima tribulatio. Quandoque vero aufertur per violentiam alicuius inferentis nocumentum, et quantum ad hoc dicit *et in bello de manu*, idest potestate, *gladii*, quasi dicat: superveniet tibi bellum sed in potestate gladii non deduceris; et haec est secunda tribulatio. Aufertur autem et vita corporalis per mortem naturalem, sed hoc inter tribulationes non computatur cum natura hominis hoc requirat. Quandoque autem personale periculum est contra famam hominis quae pertinet ad vitam civilem, et quantum ad hoc dicit *A flagello linguae absconderis:* dicitur autem flagellum linguae detractio graviter infamantis, a quo tunc homo absconditur quando facta sua de quibus posset infamari latent detrahentem; et haec est tertia tribulatio. Quandoque autem est adversitas ex aliquo periculo generali, quod quidem imminet vel personis vel rebus: personis quidem utpote quando alicui patriae exercitus hostium supervenit per quem timetur communiter vel mors vel captivatio, et quantum ad hoc dicit *et non timebis calamitatem cum venerit*, quasi dicat: imminente calamitate ab hostibus tuae patriae tu non timebis; et haec est quarta tribulatio. Rebus autem imminet commune periculum vel per sterilitatem terrae, quod est tempore famis, vel per aliquam devastationem fructuum ab hostibus, et quantum ad haec duo dicit *In fame et vastitate ridebis*, idest abundantiam habebis quae erit tibi materia gaudii; et sic tangitur quinta et sexta tribulatio. Quandoque autem est adversitas ab impugnatione brutorum animalium sive in communi sive in particulari, et quantum ad hoc dicit *et bestiam terrae non formidabis;* et haec videtur esse septima tribulatio in qua non tangit malum.

Post immunitatem autem a malis ponit abundantiam in bonis, et primo quantum ad fertilitatem terrarum dicens *Sed cum lapidibus regionum pactum tuum*, idest etiam terrae lapidosae et steriles tibi afferent fructum, secundum illud Deut. XXXII[13] «Ut suggeres mel de petra» etc.; secundo quantum ad animalia bruta, et quantum ad hoc dicit *et bestiae terrae erunt tibi pacificae*, idest non te offendent – possent et haec duo aliter exponi, ut per lapides intelligantur homines duri et rudes, per bestias homines crudeles –; tertio quantum ad homines domesticos, cum dicit *Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum*, idest familia tua pacem habebit ad invicem; quarto specialiter quantum ad uxorem, et quantum ad hoc dicit *et visitans speciem tuam non peccabis*, quasi dicat: habebis uxorem honestam

393 suggeres] –ret F F^2 δ(-Pd) π sugeres V^2 399 scies] scias F δ(-R) π *om.* R

321 septenario numero: sec. August. *II De cons. Evang.* cap. 4 (PL 34,1077) ut refert Thomas *III Pars* q. 31 a. 3 ad 3.
342 Ps. XLIII[23]. 343 de apostolis: cf. Rom. VIII[36].

[25] < Et scies quoniam multiplex erit semen tuum et > progenies tua quasi herba terrae. [26] Ingredieris in abundantia sepulcrum sicut infertur acervus tritici in tempore suo. [27] Ecce hoc ut investigavimus ita est. Quod auditum mente pertracta.

et pacificam cum qua conversari poteris sine peccato; quinto quantum ad filios, unde dicit *progenies tua quasi herba terrae*, idest habebis multos filios et nepotes; sexto quantum ad pacificam et quietam mortem, et quantum ad hoc dicit *Ingredieris in abundantia sepulcrum*, quasi in bona prosperitate non spoliatus rebus tuis, *sicut infertur acervus tritici in tempore suo*, quasi non praeventus intempestiva et subita morte.

Ultimo autem approbat ea quae supra dixerat, dicens *Ecce hoc ut investigavimus ita est*. Et quia aestimat Iob ita esse tristitia absorptum quod talia non multum cogitaret, eum reddit attentum dicens *Quod auditum mente pertracta*.

405 progenies] et scies quoniam multiplex erit semen tuum *cum Vulg. praem.* Pd π

CAPITULUM VI

1 Respondens autem Iob dixit: 2 Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui et calamitas quam patior in statera! 3 quasi arena maris haec gravior appareret. Unde et verba mea dolore sunt plena, 4 quia sagittae Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, et terrores Dei militant contra me.

Respondens autem Iob dixit. Sicut ex superioribus patet, Eliphaz in lamento Iob tria notaverat: desperationem quidem quia videbatur appetere se non esse, impatientiam sive immoderatam tristitiam propter suspiria et gemitus quos se perpeti dicebat, praesumptionem quia se innocentem asseruerat. Et circa haec tria totus superior Eliphaz sermo versabatur, in quo ad ostendendum Iob peccato fuisse subiectum et ideo adversa tolerasse, proposuit inter cetera fragilitatem condicionis humanae ex qua nullus potest se praesumere immunem a peccato: hinc ergo Iob sumit suae responsionis initium. Certum est enim quod ex fragilitate condicionis humanae nullus homo est immunis a peccato quantumcumque iustus appareat, sed tamen in viris iustis non sunt peccata gravia et mortalia sed sunt in eis peccata levia et venialia quae ex negligentia et subreptione proveniunt; si autem hoc esset verum quod Eliphaz asserere nitebatur, quod propriae poenae peccatorum essent adversitates vitae praesentis, sequeretur quod propter gravia peccata graves adversitates homines paterentur et propter levia leves, et sic viri iusti numquam gravibus adversitatibus subiacerent, quod patet esse falsum. Hanc ergo rationem Iob contra disputationem Eliphaz proponit, unde dicitur *Respondens autem Iob dixit: Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui et calamitas quam patior in statera!* quasi dicat: dicere non possum in me nulla esse peccata, confido tamen in me non esse mortalia sed venialia; si ergo pro peccatis huiusmodi iram, idest poenam, a Deo merui, debuisset in statera iustitiae appendi calamitas et peccatum ut secundum aequalitatem unum alteri responderet. Sed adversitas apparet multo maior, et hoc est quod subdit *quasi arena maris*, idest incomparabiliter, *haec*, scilicet calamitas, *gravior appareret* si sententia Eliphaz esset vera quod adversitates in hoc mundo infliguntur solum secundum peccata, cum appareat multos sceleratos, quorum peccatis peccata Iob comparata quasi nulla erant, quasdam leves adversitates sustinere.

Ex hoc autem ulterius procedit ad <se> excusandum a tristitia quam verbis expresserat, dicens *Unde et verba mea dolore sunt plena*, quod concludendo infert quia dolor ex adversitatis magnitudine causabatur. Causam autem doloris subiungit duplicem: causatur enim dolor interdum ex his quae aliquis iam perpessus est, interdum vero ex his quae perpeti timet. Primo igitur assignat causam sui doloris ex his quae perpessus iam erat, dicens *quia sagittae Domini in me sunt*, in quo ostendit ex improviso se fuisse afflictum, nam sagitta ex remotis et ex improviso venit; et ut ostendat percussionis magnitudinem subiungit *quarum indignatio ebibit spiritum meum*, idest me respirare non permisit, sed totaliter quicquid in me virium aut consolationis esse poterat sustulit. Deinde ostendit causam doloris ex his quae perpeti timebat, dicens *et terrores Dei militant contra me:* solent enim afflicti ex spe melioris status consolari, sed cum post afflictionem aliquis iterum similia vel maiora timet, nulla videtur esse consolatio residua.

Posset autem aliquis dicere: causam quidem doloris habes sed ex ea in verba doloris prorumpere non deberes. Contra quae respondet Iob ex his quae in aliis animalibus inveniuntur. Homo enim aliis animalibus similis est in natura sensitiva, unde ea quae naturam sensitivam consequuntur naturaliter adsunt homini sicut et aliis animalibus; quod autem naturale est non potest totaliter vitari; invenitur autem in aliis animalibus quod afflictionem cordis ore exprimunt, et hoc significat dicens *Numquid*

7 circa] contra β(-F^2) γ(*def.* Sv) π 31 debuisset] —sent γ Va π · deberet δ^1 42 <se> *suppl. cum* γ π] *post* excusandum sN β^1 *om. cet.* 58 Dei] domini *cum Vulg.* γ tui Pd *om.* sN R π

1 ex superioribus: cf. cap. 4 7. 9 proposuit: cap. IV^{19}. 31 idest poenam: cf. supra cap. 3 551 nota.

[5] Numquid rugiet onager cum habuerit herbam? Aut mugiet bos cum ante praesepe plenum steterit? [6] Aut poterit comedi insulsum quod non est sale conditum? Aut potest aliquis gustare quod gustatum affert mortem? [7] Quae prius tangere nolebat anima mea, nunc prae angustia cibi mei sunt. [8] Quis det ut veniat petitio mea, et quod expecto tribuat mihi Deus, [9] et qui coepit, ipse me conterat, solvat manum suam et succidat me? [10] Et haec mihi sit consolatio ut affligens me dolore non parcat. Nec contradicam sermonibus Sancti. [11] Quae est enim fortitudo mea ut sustineam? Aut quis finis meus ut patienter agam?

rugiet onager cum habuerit herbam? Aut mugiet bos cum ante praesepe plenum steterit?, quasi dicat 'non'; rugit autem onager et mugit bos cum necessario victu caruerint, in quo apparet naturale esse animalibus quod interiorem afflictionem exprimant voce.

Rursus aliquis dicere posset naturale esse quod dolor conceptus voce exprimatur, sed ad sapientem non pertinere quod ex quibuscumque causis tristitiam corde concipiat, ut Stoici posuerunt. Sed hoc ostendit Iob esse contra naturam sensitivam: nam sensus non potest non refugere id quod est nocivum vel inconveniens, et ideo dicit *Aut poterit comedi insulsum quod non est sale conditum?*, quasi dicat 'non', quia videlicet huiusmodi insipida non conveniunt ad delectationem gustus; et similiter ea quae non sunt delectabilia non potest cor hominis libenter acceptare, et multo minus illa quae sunt amara et noxia, unde subdit *Aut potest aliquis gustare quod gustatum affert mortem?*, quasi dicat 'non'; et sicut hoc est impossibile in sensu exteriori, ita impossibile est quod ea quae per sensus interiores apprehenduntur ut noxia, sine tristitia recipiantur.

Sed quia sapiens licet tristitiam patiatur eius tamen ratio a tristitia non absorbetur, ostendit Iob consequenter quod licet tristitiam pateretur tamen ei maxima inerat sollicitudo et timor ut se contra tristitiam tueretur, ne per tristitiam deduceretur in aliquod vitiosum: quod ut vitaret praeoptabat mortem, et ad hoc exprimendum dicit *Quae prius tangere nolebat anima mea, nunc prae angustia cibi mei sunt*, quasi dicat: ea quae anima mea prius abhorrebat nunc delectabiliter appetit. Et quae sint ista ostendit dicens *Quis det ut veniat petitio mea?* Et ut hanc petitionem non oretenus tantum sed etiam ex intimo corde proponere ostendatur, subiungit *et quod expecto tribuat mihi Deus?* Et quae sit ista petitio ostendit subdens *et qui coepit*, scilicet me affligere, *ipse me conterat*, scilicet per mortem, et hoc est quod subdit *solvat manum suam et succidat me?* Manum Dei dicit potentiam divinam qua ipsum Deus afflixerat, quae quidem manus quodammodo ligata videtur divina voluntate et misericordia dum affligere desistit, solvitur autem quodammodo dum ad finem occisionis percussio divina perducitur.

Et quia dixerat ea quae prius tangere nolebat nunc cibos suos esse, ostendit quomodo hoc sit intelligendum, quia scilicet mors quae sibi fuerat horribilis nunc effecta est dulcis, unde subdit *Et haec mihi sit consolatio ut affligens me dolore*, scilicet Deus, *non parcat*, idest non retrahat manum suam sed me ad mortem perducat. Et quare hoc optet ostendit per id quod subdit *Nec contradicam sermonibus Sancti*, idest Dei, hoc est eius iudiciis sive sententiis quibus me afflixit. Timebat enim Iob ne per afflictiones multas ad impatientiam deduceretur, ita quod ratio tristitiam reprimere non posset; impatientiae autem ratio est cum ratio alicuius adeo a tristitia deducitur quod divinis iudiciis contradicit; si vero aliquis tristitiam quidem patiatur secundum sensualem partem sed ratio divinae voluntati se conformet, non est impatientiae defectus, et sic frustra Eliphaz arguebat Iob ubi dixerat «Nunc venit super te plaga, et defecisti»: licet enim tristaretur non tamen defecerat.

Deinde assignat rationem ex propria fragilitate quare timebat ne ad hoc perduceretur ut contradiceret sermonibus Sancti. Huiusmodi enim timor ex duplici causa tolli posset: primo quidem si tanta sibi esset rationis fortitudo ut nullo modo superari posset, sicut est in illis quorum est liberum arbitrium per gratiam confirmatum, sed hanc fortitudinem in se non sentiebat, unde dicit *Quae est enim fortitudo mea ut sustineam?*, scilicet quascumque tribulationes; secundo si tribulationes et tristitias aliquo brevi tempore tolerare oporteret, et ideo ad hoc removendum adiungit *Aut quis finis meus ut patienter agam?*, quasi dicat: quis terminus tribulationibus meis positus est ut usque ad illum expectans

86 ad *om.* γ δ^1 π 87 delectationem] —onis pN V^1 Va —ones V^2 —oni γ δ^1 π 104 sint] sunt β(-F^2) γ(-Sv) δ π
126 per] propter β γ δ π 134 anguebat] —eret N —erat β Pd

77 exprimant voce: cf. Arist. *I Polit.* 1 (1253 a 10) ut refert Thomas *I-II* q. 35 a. 8. 81 Stoici: sec. August., cf. supra cap. 1 736 nota. 125 idest Dei: *Glossa interlin.* super h. l. 134 Cap. IV^5.

[12] Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea aenea est. [13] Ecce non est auxilium mihi in me, et necessarii quoque mei recesserunt a me. [14] Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit. [15] Fratres mei praeterierunt me, sicut torrens qui raptim transit in convallibus. [16] Qui timent pruinam, irruet super eos nix. [17] Tempore quo fuerint dissipati peribunt, et ut incaluerint, solventur de loco suo. [18] Involutae sunt semitae gressuum eorum, ambulabunt in vacuum et peribunt.

possim praesumere me patientiam servaturum? Et ad horum expositionem subiungit dicens *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea:* fortitudo enim lapidum sine sensu est; hominis autem fortitudo est cum sensu eorum quae noxia sunt, propter quod subdit *nec caro mea aenea est,* idest sine sensu, quia quantumcumque ratio mortalis hominis fortis sit tamen necesse est quod ex parte carnis experiatur sensum doloris. Et per hoc excluditur increpatio Eliphaz qui tristitiam in beato Iob arguebat: etsi enim inesset beato Iob fortitudo mentis aderat tamen ex parte carnis sensus doloris, quem tristitia consequebatur. Simul etiam per hoc confutatur opinio Stoicorum dicentium sapientem non tristari, cuius opinionis Eliphaz fuisse videtur; beatus autem Iob hoc defendere intendit quod sapiens tristatur quidem sed ad hoc studet per rationem ut ad inconveniens non deducatur, quod etiam Peripatetici posuerunt.

Ecce non est auxilium <mihi> in me etc. Ostendebat Iob in praecedentibus se rationabiliter dolorem sensisse et verba doloris protulisse, sed tamen dolore non esse absorptum propter ea quae passus erat; sed quia interdum homo licet aliqua adversa patiatur ita se suo et alieno auxilio et solatio contra adversa tuetur ut vel parvum vel nullum inde dolorem concipiat, vult ostendere beatus Iob se huiusmodi remediis esse destitutum, ut ex hoc appareat evidentius se rationabiliter verba doloris protulisse. Et primo quidem ostendit se praedictis remediis destitutum esse ex parte sua, cum dicit *Ecce non est auxilium mihi in me:* etsi enim bona eius aliqua direpta fuissent, posset hoc absque tristitia tolerare si se posset adiuvare ad recuperandum bona amissa et ad vindicandum iniuriam illatam, sed hoc non poterat, omnibus divitiis, filiis et proprii corporis sanitate destitutus.

Rursus multa per nos ipsos non possumus quae possumus per amicos; et ideo Iob secundo ostendit se etiam auxilio amicorum destitutum esse, cum dicit *et necessarii quoque mei,* idest familiares et domestici, *recesserunt a me.* Et quod hoc non sine culpa illorum sit, ostendit subdens *Qui tollit ab amico suo misericordiam,* scilicet in tempore miseriae, *timorem Domini derelinquit,* idest reverentiam quam debet habere ad Deum, propter quem et in quo proximus diligendus est: «Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere?», ut dicitur Ioh. IV.

Deinde ostendit se etiam a consanguineis esse derelictum dicens *Fratres mei,* idest consanguinei, *praeterierunt me:* loquitur ad similitudinem simul in via incedentium, ac si uno cadente in foveam alii nihilominus praecedant eo dimisso. Et quidem aliqualiter excusabiles essent si, postquam aliquo tempore auxilium tulissent, eum dimisissent vel propter taedium vel propter desperationem adiuvandi; et ideo ut inexcusabiles sint, ostendit se statim et subito ab eis esse desertum, quod significat cum subdit *sicut torrens qui raptim transit in convallibus,* qui velocissime movetur. Et ne hoc se impune fecisse credant, subiungit *Qui timent pruinam, irruet super eos nix,* quasi dicat: qui propter timorem minoris periculi a iustitia et misericordia discedit in maiora pericula deducetur; unde et fratres Iob qui eum praeterierunt compati nolentes, ipsi tristitiam in propriis damnis sustinebunt. Et quod eorum pericula sint futura sine remedio ostendit subdens *Tempore quo fuerint dissipati,* idest quo incurrent aliqua pericula, *peribunt,* scilicet totaliter, *et ut incaluerint, solventur de loco suo.* Loquitur sub metaphora nivis, de qua fecerat mentionem, quae cum multum firmata fuerit per congelationem non statim ad primam calefactionem dissolvitur, sed cum adhuc non est congelata statim ad radium solis dissolvitur et fluit: hoc est ergo quod dicit *ut incaluerint, solventur de loco suo,* idest statim ad primum impetum adversitatis quasi cuiusdam caloris tota eorum prosperitas dissolvetur. Et causam ostendit subdens *Involutae sunt semitae gressuum eorum:* il-

169 <mihi> *suppl. cum* F² δ(-R) π (*cf. infra lin.* 181)] meum γ *om. cet.* 196 Qui] enim *add.* γ δ π (*cf. Praef.* § 90 *circa finem*) 203 praecedant] pretereant δ pretereunt π 211 timent] timet N V¹ γ(-Sv)

156 sine sensu: cf. Gregor. *VII Moral.* cap. 22 (PL. 75,779 B). 163 Stoicorum: sec. August., cf. supra cap. 1 736 nota. 168 Peripatetici: cf. nota praec. 198 I Ioh. IV[20].

[19] Considerate semitas Theman, itinera Saba, et expectate paulisper: [20] confusi sunt quia speravi, venerunt quoque usque ad me, et pudore cooperti sunt. [21] Nunc venistis, et modo videntes plagam meam timetis. [22] Numquid dixi: Afferte mihi et de substantia vestra donate mihi? [23] Liberate me de manu hostis, et de manu robustorum eruite me? [24] Docete me et ego tacebo, et si quid forte ignoravi, instruite me? [25] Quare detraxistis sermonibus veritatis? Cum ex vobis nullus sit qui possit arguere me. [26] Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, et in ventum verba profertis. [27] Super pupillum irruitis, et subvertere nitimini amicum vestrum. [28] Verum tamen quod coepistis explete, praebete aurem et videte an mentiar.

lud enim quod involvitur, in se ipsum quadam tortuositate redit; illorum igitur semitae involutae sunt qui in consanguineis et amicis nihil nisi propriam utilitatem quaerunt, et propter hoc in tempore prosperitatis amicitiam simulant sed in tempore adversitatis derelinquunt. Sed homines qui fraudulenter propriam utilitatem quaerunt plerumque a sua spe deficiunt, et ideo subdit *ambulabunt in vacuum:* tunc enim aliqui in vacuum ambulare dicuntur quando a fine ambulationis deficiunt; et non solum eorum spes evacuabitur sed etiam contrarium eis accidet, unde sequitur *et peribunt*, idest totaliter destruentur.

Sic igitur neque in se ipso neque in domesticis neque in consanguineis auxilium habebat. Consequenter ostendit quod neque in aliis amicis, unde dicit *Considerate semitas Theman, itinera Saba*, in quibus regionibus maxime videbatur habuisse amicos, nam et Eliphaz de Theman venerat, *et expectate paulisper*, considerantes scilicet utrum aliqui per has vias venerint ad auxilium mihi ferendum; et hoc non vi- debitis quia *confusi sunt*, scilicet venire ad me, *quia speravi*, idest quia tempus erat in quo ab eis auxilium sperare debebam: homines enim qui auxiliari nolunt confunduntur visitare illos a quibus aestimant sibi rationabiliter posse peti auxilium; *venerunt quoque*, aliqui scilicet eorum, *usque ad me, et pudore cooperti sunt*, quia scilicet mihi non dederunt auxilium cum recognoscerent se debere. Nec est mirum de aliis cum etiam vos, qui sapientiores videmini, in hoc deficiatis, unde subdit *Nunc venistis, et modo videntes plagam meam timetis*, ne forte scilicet oporteat vos mihi auxilium ferre; sed ne timeatis quia in nullo auxilium vestrum requisivi: neque enim requiro a vobis ut subveniatis mihi in denariis, et hoc est quod dicit *Numquid dixi: Afferte mihi et de substantia vestra donate mihi?;* neque petii a vobis auxilium in bello contra hostes, et hoc est quod subdit *Liberate me de manu hostis, et de manu robustorum eruite me?;* neque petii a vobis auxilium doctrinae, et hoc est quod dicit: numquid dixi *Docete me*, scilicet in speculativis, *et ego tacebo, et si quid forte ignoravi, instruite me?*, scilicet in agendis. Nec solum vos mihi auxilium non praebetis, sed etiam quantum in vobis est me ulterius verbis affligitis, et hoc est quod subdit *Quare detraxistis sermonibus veritatis?*, quos scilicet primo protuli in mea lamentatione, quam Eliphaz reprehendere visus est, ut dictum est. Et ut haec detractio inexcusabilis ostendatur, excludit omnia illa quibus aliquis reprehensor a detractione potest excusari. Quorum primum est cum aliquis maioris auctoritatis alium pro culpa reprehendit, et hoc excludit dicens *Cum ex vobis nullus sit qui possit arguere me.* Secundum est cum aliquis contra aliquem verba dura profert ad eius utilitatem et non ad ipsum exacerbandum, et hoc est quod subdit *Ad increpandum tantum*, et non ad utilitatem, *eloquia concinnatis*, idest studiose componitis ut non videantur leviter esse dicta. Tertium est cum aliquis verba quae profert contra aliquem efficacibus rationibus munit, et hoc removet dicens *et in ventum verba profertis*, quasi dicat: verba vestra inania sunt nullum robur rationis habentia. Quartum est cum aliquis aliquem reprehendit eo tempore et in illo statu in quo praesumi potest quod non fiat inde deterior sed melior; sed si aliquis eo tempore aliquem reprehendere velit quo est consternatus animo et ad iram dispositus, videtur non velle correctionem sed subversionem, et ideo dicit *Super pupillum irruitis, et subvertere nitimini amicum vestrum:* se ipsum pupillum nominat quia in tristitia positus omni auxilio destitutus erat.

Et ne quis putaret quod hoc diceret timens concertationem cum eis, quasi de veritate suae sententiae et iustitia suae causae non praesumeret, subiungit *Verum tamen quod coepistis explete*, ut ex mutua disputatione veritas elucescat; unde subdit *praebete aurem*, idest auscultate, *et videte*, idest considerate, *an mentiar:* hoc est enim primum impedimentum

261 ne] non N β Pd π

275 primo protuli: cap. III[3]. 277 dictum est: lin. 2.

29 Respondete, obsecro, absque contentione, et loquentes id quod iustum est iudicate.
30 Et non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.

veritatis inveniendae per disputationem, cum aliquis ea quae ab adversario dicuntur audire non vult. Secundum impedimentum est cum ad audita clamose et contumeliose respondet, et ad hoc removendum dicit *Respondete, obsecro, absque contentione:* est enim contentio, ut Ambrosius dicit, «impugnatio veritatis cum confidentia clamoris». Tertium impedimentum est cum aliquis in disputatione non intendit ad veritatem sed ad victoriam et gloriam, ut accidit in disputationibus litigiosis et sophisticis: *et loquentes id quod iustum est iudicate,* ut scilicet concedatis ea quae vobis videntur vera, et negetis ea quae videntur falsa. *Et,* si hoc feceritis, *non invenietis in lingua mea iniquitatem,* scilicet aliquid contra iustitiam quae debetur proximo, *nec in faucibus meis stultitia personabit,* idest aliquid contra sapientiam qua recte sentitur de Deo: intendebat enim et circa divina et circa humana defendere et probare veritatem.

313 Hanc sententiam Ambrosio tribuunt communiter Scholastici, e. g. Albertus *Super I Sent.* in Prol. Magistri, Bonaventura ibid. dub. 7. ipse Thomas ibid. et *II-II* q. 38 a. 1; invenies autem in *Glossa ordin.* super Rom. 1[29] et *Glossa* Petri Lomb. ibid. (PL 191,1335 C). 317 litigiosis et sophisticis: cf. Arist. *I De soph. elench.* cap. 11 (171 b 18).

CAPITULUM VII

[1] Militia est vita hominis super terram, et sicut dies mercennarii dies eius. [2] Sicut servus desiderat umbram et sicut mercennarius praestolatur finem operis sui,

Militia est vita hominis super terram etc. Eliphaz in superioribus, volens beatum Iob a desperatione removere, ei quandam terrenam beatitudinem repromiserat si increpationem Domini non reprobaret; unde beatus Iob, postquam tristitiae suae rationabiles causas ostendit, vult ulterius ostendere praedictam consolationem Eliphaz ex repromissione terrenae felicitatis esse incongruam. Et primo hoc ostendit ex condicione praesentis vitae, postmodum vero id ostendet ex sua propria condicione.

Circa condicionem vero praesentis vitae diversa fuit hominum sententia: quidam enim posuerunt in hac vita ultimam felicitatem esse, et hanc sententiam videntur sequi dicta Eliphaz. Ibi enim est ultimus finis hominis ubi expectat finalem retributionem pro bonis aut malis: unde si in hac vita homo remuneratur a Deo pro bene actis et punitur pro malis, ut Eliphaz astruere nitebatur, consequens videtur quod in hac vita sit ultimus hominis finis. Hanc autem sententiam intendit Iob reprobare et vult ostendere quod praesens vita hominis non habet in se ultimum finem, sed comparatur ad ipsum sicut motus ad quietem et via ad terminum; et ideo comparat eam illis statibus hominum qui tendunt ad aliquem finem, scilicet statui militum qui militando ad victoriam tendunt, et hoc est quod dicit *Militia est vita hominis super terram*, ac si dicat: vita praesens qua super terram vivimus non est sicut status victoriae sed sicut status militiae; comparat etiam eam statui mercennariorum, et hoc est quod subdit *et sicut dies mercennarii dies eius*, scilicet hominis super terram viventis. Comparat autem praesentem vitam his duobus statibus propter duo quae imminent homini in praesenti vita, ut scilicet resistat impedimentis et nocivis et propter hoc comparatur militiae, et ut operetur utilia ad finem et propter hoc comparatur mercennario. Ex utroque autem exemplo datur intelligi praesens vita divinae providentiae subdi: nam et milites sub duce militant et mercennarii a patrono mercedem expectant. Satis etiam in his duobus exemplis apparet falsitas sententiae quam Eliphaz defendebat. Manifestum est enim quod dux exercitus strenuis militibus non parcit a periculis aut laboribus, sed secundum quod militiae ratio exigit interdum eos et maioribus laboribus et maioribus periculis exponit, sed post victoriam adeptam magis strenuos plus honorat; sic et paterfamilias melioribus mercennariis maiores labores committit, sed in tempore mercedis eis maiora munera largitur; unde nec divina providentia hoc habet ut bonos magis ab adversitatibus et vitae praesentis laboribus eximat, sed quod in fine eos magis remuneret.

Quia igitur ex his verbis Eliphaz sententia tota subruitur, ad eorum confirmationem Iob intendit et ea efficaci ratione demonstrat. Manifestum est enim quod quaelibet res adepto ultimo fine quiescit, unde necesse est quod quando voluntas humana ultimum finem consecuta fuerit, in illo quiescat et ulterius ad alia desideranda non moveatur; huius autem contrarium in praesenti vita experimur, nam semper homo quasi non contentus praesentibus futura desiderat: unde manifestum est in hac vita ultimum finem non esse, sed hanc vitam ordinari ad alium finem sicut ordinatur militia ad victoriam et dies mercennarii ad mercedem. Sciendum est autem quod in praesenti vita praesentia non sufficiunt sed desiderium tendit in futura propter duo: scilicet propter afflictiones praesentis vitae, et propter hoc inducit exemplum servi desiderantis umbram dicens *Sicut servus*, ab aestu afflictus, *desiderat umbram*, qua refrigeretur; et propter defectum perfecti boni et finalis quod hic non habetur, et ideo ponit exemplum de mercennario dicens *et sicut mercennarius praes-*

10 ostendet] —dit β δ(*def.* R π) 18 nitebatur] videbatur sN V¹ δ π 31 dies¹ *om.* F δ(-Pd) 58 quando] ipsa pN δ¹ π cum ipsa aN si ipsa Va 70 servi] cervi sN F² δ(-R) 71 servus] cervus F sN F² Pd

2 in superioribus: cap. v¹⁷. 9 postmodum: lin. 102.

[3] sic et ego habui menses vacuos et noctes laboriosas numeravi mihi. [4] Si dormiero dico: Quando consurgam? Et rursum expectabo vesperam et replebor doloribus usque ad tenebras. [5] Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris, cutis mea aruit et contracta est. [6] Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur, et consumpti sunt absque ulla spe. [7] Memento quia ventus est vita mea, et non revertetur oculus meus ut videat bona,

tolatur finem operis sui – perfectum enim bonum est hominis finis –, *sic et ego habui menses vacuos*, idest reputavi menses praeteritos mihi vacuos praeterisse, utpote in quibus perfectionem finalem adeptus non eram; *et noctes*, deputatas quieti contra afflictiones, *laboriosas numeravi mihi*, idest reputavi ac si essent laboriosae, inquantum in eis retardabar a consecutione finis.

Quomodo autem habuerit menses vacuos et noctes laboriosas exponit subdens *Si dormiero*, idest cum fuerit tempus dormiendi de nocte, *dico: Quando consurgam?*, exoptans diem. *Et rursum*, facto die, *expectabo vesperam*, sic semper in futurum per desiderium tendens. Et hoc quidem commune est omni homini viventi super terram, sed plus et minus hoc sentiunt homines secundum quod magis aut minus gaudiis seu tristitiis afficiuntur: nam qui in gaudio est minus desiderat futurum, plus autem qui in tristitia; et ideo ut hoc desiderium Iob in se esse vehemens ostendat, subiungit *et replebor doloribus usque ad tenebras*, propter quos dolores praesens tempus fit mihi taediosum et futurum magis desidero.

Induta est caro mea putredine etc. Ostenderat supra beatus Iob consolationem Eliphaz ex promissione felicitatis in vita terrena fuisse ineptam ex generali condicione vitae hominis super terram, nunc autem intendit ostendere eandem consolationem ineptam esse ex sua propria condicione. Et proponit duo quae impediunt ipsum expectare prosperitatem super terram, quorum primum est infirmitas corporis quam patiebatur: homini enim gravi infirmitate detento nihil potest contingere quod eum in hac vita faciat esse felicem, et ideo dicit *Induta est caro mea putredine*, quasi dicat: undique corpus meum circumdatum est putredine ulcerum sicut corpus circumdatur vestimento. Et quia vulnera a principio curata ad sanitatem perveniunt, ostendit ulcera sua fuisse neglecta, unde dicit *et sordibus pulveris:* non enim erant debito modo curata quia ad litteram in sterquilinio sedebat, ut supra dictum est. Expectatur autem sanitas aliquando etiam si ulcera sint neglecta, quando natura est fortis, sed in Iob vigor naturae defecerat, unde dicit *cutis mea aruit et contracta est*, quia scilicet humor naturalis iam consumptus est vel propter senectutem vel propter infirmitatem, unde non videtur locus ut in hac vita ulterius felicitatem expectem. Secundum est quia plurimum tempus vitae suae iam praeterierat, unde modicum tempus restabat nec in eo poterat magnam felicitatem expectare, et propter hoc dicit *Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur*. Vita enim hominis quantum ad aliquid similis est texturae: sicuti enim ille qui texit telam fila filis adiungit ut ad perfectionem telae perveniat, qua perfecta eam succidit, sic ad hoc quod vita hominis perficiatur dies diebus adduntur, cum autem fuerit perfecta tollitur. Ideo tamen dicit quod velocius transeunt dies hominis quam tela succidatur quia in opere telae textor interdum quiescit, sed tempus vitae hominis absque quiete continuo labitur.

Sed posset aliquis dicere quod licet plurimum temporis vitae eius transierit, adhuc tamen posset expectare reditum ad statum vitae praeteritae: posuerunt enim aliqui quod post mortem, transactis plurimis annorum curriculis, homo rediturus erat ad eandem vitae seriem quam prius egerat, ut puta quod Plato in futuris temporibus lecturus erit Athenis et eadem acturus quae prius egit, et sic homo licet plurimum temporis vitae eius transierit posset expectare restitutionem beatitudinis in vita terrena; et ideo ad hoc removendum subiungit Iob *et consumpti sunt absque ulla spe*, redeundi scilicet ad pristinos dies. Et ad hoc probandum subiungit ad Deum loquens – ad quem ab illo loco «Militia est vita hominis super terram» videtur direxisse sermonem –, dicens *Memento quia ventus est vita mea*, idest vento similis: sicut enim ventus pertransit et

80 numeravi] enumeravi *cum Vulg.* V^1 Sv δ^1 π 82 consecutione] prosecutione N δ(-Pd) persecutione Pd 115 etiam **si**] si β γ Va etsi δ^1 121 quia] quod N γ(-As) Pd π

rum aliquid tuae cognitioni decrescat? Et subdit *ut quaeras iniquitatem meam et peccatum meum scruteris*, idest ut per flagella inquiras an ego peccaverim opere et iniquus sim mente, sicut homines per tormenta peccata exquirunt? Et sic, post inquisitionem huiusmodi in me peccata non inveniens, *scias quia nihil impium fecerim*, quasi hoc aliunde cognoscere non possis nisi per flagella peccata mea exquiras; et hoc libere facias absque contradictione, *cum sit nemo qui de manu tua possit eruere:* aliquando enim ab hac inquisitione quae est per tormenta iudices deficiunt, dum hi qui torqueri debent ab eorum manibus eruuntur.

Et quia supra dixerat se esse opus manuum Dei, ut ex hoc ostenderet quod bonum Deo videri non potest ut eum opprimat propter se, quasi in oppressione eius delectatus, quod supposuerat manifestat, unde subdit *Manus tuae fecerunt mē*. Et ne aliquis credat, secundum Manichaeorum haeresim, hominis animam a Deo factam corpus vero a contrario auctore formatum, subiungit *et plasmaverunt me totum in circuitu. In circuitu* dicit quia corpus videtur esse animae in circuitu sicut vestimentum vestito vel sicut domus habitatori; *totum* dicit ut ad singula corporis membra referatur; *plasmaverunt* dicit ut alludat ei quod homo ex limo terrae dicitur esse formatus; per manus autem operatio divina intelligitur, unde dicit pluraliter *manus* quia licet sit una divina virtus operans, multiplicatur tamen eius operatio in effectibus, tum propter diversitatem effectuum tum etiam propter varietatem causarum mediarum mediantibus quibus suos effectus producit. Subdit autem *et sic repente praecipitas me?*, quia repentinum esse videtur ut aliquis qui aliquam rem produxit eam absque causa manifesta corrumpat: qui enim facit aliquid vult illud esse – ad hoc enim facit ut sit –, qui autem corrumpit vult illud non esse; videtur igitur si aliquis destruat quod prius fecit, videtur repentina mutatio voluntatis, nisi aliqua manifesta causa de novo oriatur ex qua appareat illud esse corrumpendum quod prius fuit fiendum; huiusmodi autem repentina mutatio voluntatis in Deum cadere non potest, et ideo quasi admirative quaerit *et sic repente praecipitas me?*, quasi dicat: hoc inconveniens videtur si quem prius fecisti sine causa nunc destruas. Vel quod dixit *fecerunt me* potest referri ad constitutionem substantiae, quod autem dixit *et plasmaverunt me totum in circuitu* potest referri ad ea quae substantiae adveniunt, sive sint bona animae sive corporis sive exterioris fortunae.

Et quia in generali se factum et plasmatum a Deo posuerat, in speciali prosequitur de modo suae factionis, ad similitudinem alicuius qui alicui vult reducere aliquid ad memoriam quod oblitus videtur: particulariter ei cuncta edisserit ut vel sic ei in memoriam reducatur. Videtur autem Deus benivolentiae quam ad suam facturam habet oblivisci cum eam corruptioni exponit: ad modum enim obliviscentis se habet, et secundum hunc modum dicitur in Psalmo «Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem?», et ideo dicit *Memento, quaeso, quod sicut lutum feceris me*. Ubi considerandum est quod duplicem hominis factionem commemorat, primo quidem eam quae pertinet ad primam institutionem naturae, alludens ei quod dicitur Gen. I «Deus hominem de limo terrae formavit», et ideo dicit *quod sicut lutum feceris me*, ubi etiam compositionem hominis ex primis elementis tangere videtur. Et quia etiam primo homini dictum est «Pulvis es et in pulverem reverteris», consequenter subiungit *et in pulverem reduces me*, quod etiam naturali materiae competit: nam ea quae ex terra generantur consequens est secundum naturae ordinem ut resolvantur in terram. Sed de hoc aliquis mirari potest, cum maius videatur de terra formare hominem quam hominem formatum retinere ne in pulverem redigatur, unde est quod Deus qui hominem de luto formavit eum in pulverem redigi permittit: utrum scilicet hoc sit solum ex necessitate materiae, ut homo in hoc nihil plus habeat aliis quae ex terra formantur, vel hoc sit ex divina providentia aliquam hominis culpam puniente.

Consequenter autem tangit factionem hominis

156 inveniens] –nies N γ(-As) δ(-R) π 176 ex] de F δ¹ π 188 videtur *om.* sN F² δ 189 videtur *om.* F γ π 190 appareat] prius (post π) *add. codd. et delevimus* 206 edisserit] –rat N –rens γ

164 supra: vers. 3. 169 Manichaeorum: cf. supra lin. 106 nota. 176 ex limo terrae: Gen. II⁷. 211 Ps. XII¹. 216 Rectius Gen. II⁷. 220 Gen. III¹⁹.

[10] Nonne sicut lac mulsisti me et sicut caseum me coagulasti? [11] Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me. [12] Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum. [13] Licet haec celes in corde tuo, tamen scio quia universorum memineris. [14] Si peccavi et ad horam pepercisti mihi,

quantum ad opus propagationis secundum quod homo ab homine generatur. Ubi considerandum est quod omnia naturae opera Deo attribuit non ut excludat naturae operationem sed eo modo quo principali agenti attribuuntur ea quae per causas secundas aguntur, ut artifici operatio serrae: hoc enim ipsum quod natura operatur a Deo habet, qui ad hoc eam instituit. In hac autem hominis generatione primo occurrit seminis resolutio, et quantum ad hoc dicit *Nonne sicut lac mulsisti me?:* sicut enim semen est superfluum alimenti ita et lac. Secundo autem occurrit compactio massae corporeae in utero mulieris, et quantum ad hoc subdit *et sicut caseum me coagulasti?:* ita enim se habet semen maris ad materiam quam femina ministrat in generatione hominis et aliorum animalium sicut se habet coagulum in generatione casei. Tertio autem occurrit distinctio organorum, quorum quidem consistentia et robur est ex nervis et ossibus, circumdantur autem exterius a pelle et carnibus, unde dicit *Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me.* Quartum autem est animatio fetus, et praecipue quantum ad animam rationalem quae non infunditur nisi post organisationem; simul autem cum anima rationali infunduntur homini divinitus quaedam seminaria virtutum, aliqua quidem communiter omnibus, aliqua vero specialiter aliquibus secundum quod homines quidam sunt naturaliter dispositi ad unam virtutem, quidam ad aliam: Iob autem dicit infra «Ab infantia crevit mecum miseratio, et de utero egressa est mecum», unde et hic dicit *Vitam et misericordiam tribuisti mihi.* Ultimum autem est conservatio vitae tam in materno utero quam post exitum ex utero, quae quidem conservatio est partim quidem per principia naturalia, partim autem per alia Dei beneficia naturae superaddita, sive pertineant ad animam sive ad corpus sive ad exteriora bona, et quantum ad hoc subdit *et visitatio tua custodivit spiritum meum:* sicut enim Deus ab aliquo recedere dicitur in Scripturis quando Deus ab eo sua dona subtrahit, sic eum visitare dicitur quando ei sua dona largitur.

Ne autem ex hoc quod Deo dixerat «Memento, quaeso, quod sicut lutum feceris me» aliquis credere posset eum huius opinionis esse quod oblivio in Deum cadere posset, excusat se ab hoc subdens *Licet haec celes in corde tuo, tamen scio quia universorum memineris;* dicitur autem Deus ad similitudinem hominis aliquid in corde celare quando non ostendit per effectum quod habet in cognitione vel affectione: sic itaque Deum praedicta in corde celare dicit quia in effectu non ostenditur quod eum pro sua factura recognoscat, quem sic repente praecipitare videtur.

Si peccavi et ad horam pepercisti mihi etc. Superius inquisivit Iob causam suae punitionis supposito quod innocens esset, nunc autem procedit ad inquirendum si propter hoc puniatur quia peccator est. Et quod pro peccato non puniatur primo ostendit utens tali ratione: si enim peccatum commisit, maxime hoc commisisse videtur tempore prosperitatis; si autem peccatum est tota causa quare aliqui adversitates sustineant in praesenti, posita autem causa ponitur effectus, oporteret quod statim cum aliquis peccat adversitas sequeretur; manifestum autem erat quod Iob tempore suae prosperitatis eundem modum vivendi servavit: unde si peccavit hoc modo vivendo, diu ante peccaverat quam adversitatem pateretur; oporteret ergo dicere quod, cum statim post peccatum adversitas secuta non sit, quod Deus pro tempore illo ei pepercerit quo adversitates non induxit; inconveniens autem est dicere quod peccatum quod Deus pepercit iterum imputet ad poenam: non ergo videtur quod pro peccato prius ab eo commisso nunc puniatur. Hoc est ergo quod dicit *Si peccavi*, scilicet tempore prosperitatis meae, *et ad horam pepercisti mihi*, quia scilicet non

253 circumdantur] — datur F F^3 δ π 275 Deus *om.* sN γ 278 aliquis credere *scrips. cum* N Va] quis credi pF crederet $δ^1$ credi (*post* posset F^2) *cet.* 279 posset] possit γ π *om.* $δ^1$

245 semen...lac: cf. Arist. *I De gen. animal.* cap. 18 (725 b 3 et 726 a 26) quem recitat Thomas *Super II Sent.* d. 30 q. 2 a. 2 sed c. 250 sicut...coagulum: cf. Arist. *II De gen. animal.* cap. 4 (739 b 20). 253 ex nervis et ossibus: cf. Arist. *III Topic.* cap. 1 (116 b 21); ipse Thomas *Super Is.* III[1]. 258 post organisationem: cf. Arist. *II De gen. animal.* cap. 3 (736 a 35) sec. Thomam *III Pars* q. 33 a. 2 arg. 3. 260 seminaria virtutum: cf. Arist. *VI Ethic.* 11 (1144 b 2) ut refert Thomas *Super III Sent.* d. 33 q. 1 a. 2 qc. 1, ubi insuper allegatur Tullius: vide *III Tuscul.* cap. 1 et *III De finibus* cap. 6. 264 Cap. XXXI[18]. 277 Vers. 9. 289 Superius: cf. lin. 63. 297 posita autem causa...: cf. Petrus Hispan. *Summulae logicales* tr. 5 n. 24 et 26 (ed. I. M. Bocheński, Taurini 1947, p. 51).

cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris? [15] Et si impius fuero, vae mihi est! et si iustus, non levabo caput, saturatus afflictione et miseria. [16] Et propter superbiam quasi leaenam capies me, reversusque mirabiliter me crucias. [17] Instauras testes tuos contra me et multiplicas iram tuam, et poenae militant in me. [18] Quare de vulva eduxisti me? Qui utinam consumptus essem ne oculus me videret. [19] Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum.

statim adversitatem induxisti, *cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris?*, quasi dicat: cur ex quo reputasti me aliquo tempore quasi purum parcendo mihi iniquitatem meam, nunc iterum me punis quasi non sim purus?

Aliam etiam rationem consequenter subiungit quae talis est: si peccatum est tota causa adversitatum praesentium, sequeretur quod non tam iusti quam peccatores adversitates in hoc mundo patiantur; videmus autem et iustis et peccatoribus adversitates esse communes, et hoc est quod dicit *Et si impius fuero, vae mihi est!* idest adversitates sustineo; *et si iustus* vel prius fui vel modo factus, *non* propter hoc *levabo caput*, quasi a miseria sublevatus: ego dico existens *saturatus afflictione*, quantum ad dolores, *et miseria*, quantum ad penuriam et confusionem. In saturitate autem abundantiam afflictionis et miseriae designat, et hoc videtur dicere contra dictum Eliphaz et Baldath qui dixerant quod si converteretur ab adversitate liberaretur: contra quod dicit quod etiam si iustus effectus sit non tamen propter hoc a miseria relevatur, quamvis pro praecedentibus peccatis si qua fuerint iam sufficienter punitus sit, quod per saturitatem afflictionis et miseriae designat.

Et quia hoc ei ad superbiam Eliphaz imputaverat quod se innocentem dicebat, subiungit *Et propter superbiam quasi leaenam capies me:* dixerat enim supra Eliphaz in denotatione Iob «Rugitus leonis et vox leaenae et dentes catulorum leonum contriti sunt»; dicit ergo *propter superbiam quasi leaenam capies me*, quasi dicat: facis me reputari ab his qui capiunt verba mea quasi leaenam propter superbiam. Et hoc ipsum quod sic malus reputabatur erat ei poena super poenam, unde subdit *reversusque mirabiliter me crucias*, quasi prius venisti affligens me per subtractionem rerum et corporis vulnera, et nunc iterato redisti et crucias me per amicos, quod est mirabile quia ab amicis magis consolationem deberem accipere; vel hoc dicit quia maxime homo affligitur cum ab amicis deridetur. Qualis autem sit iste cruciatus ostendit subdens *Instauras testes tuos contra me:* Eliphaz enim dum videbatur iustitiam Dei defendere et similiter socii eius, in quo quasi testes Dei se demonstrabant, contra Iob loquebantur eum de peccato arguentes; *et* sic *multiplicas iram tuam*, idest effectum irae dum me multipliciter punis, *et poenae militant in me*, quasi cum quadam auctoritate et sine contradictione me impugnant: milites enim consueverunt cum auctoritate regia et absque ulla contradictione aliquem qui reputatur reus invadere.

Quare de vulva eduxisti me etc. Terminaverat Iob inquisitionem suam in hoc quod, sive iustus sive peccator esset, tribulationibus multiplicibus subiacebat; et ne aliquis posset credere Deum in eius tribulationibus delectari, vult inquirere an hoc verum esse possit. Inconveniens autem videtur quod aliquis effectum suum producat ad hoc quod male se habeat, cum potius omne agens in suo effectu bonum intendat; supponit autem, sicut ex praemissis patet, se esse opus Dei, et ideo ab eo quaerit *Quare de vulva eduxisti me?*, quasi dicat: numquid propter hoc me nasci fecisti ut tribulationibus subdas? Et quia posset aliquis dicere quod etiam sic in tribulationibus esse melius est simpliciter quam natum non esse, excludit hoc dicens *Qui utinam consumptus essem*, scilicet in materno utero, *ne oculus me videret*, idest ne confusionem paterer ex tantis malis quae in me oculi hominum conspiciunt; et tamen si in materno utero consumptus essem, habuissem dignitatem essendi sine miseria quae mihi existenti accidit, et hoc est quod dicit *Fuissem*, quasi participans, idest participassem id quod boni est in esse, *quasi non essem*, idest immunis forem a malis huius vitae ac si numquam fuissem; non est enim dignitas humani esse ut in perpetuum conservetur, sed ut tandem homo moriatur et transferatur ad tumulum qui mortuo praeparatur ad hoc quod ali-

314 quasi] non N F^a *om.* β(-F^a) As R 318 adversitatum] —tatis β(-F^a) γ δ^1 π 319 praesentium] —tis As δ^1 π —tialiter F^a *om.* Sv 324 factus] sum *add.* γ δ(-Pd) π 352 Qualis] et *praem.* N β 386 idest] et *add.* β γ(-Sv)

330 Eliphaz: cap. v^{18}; Baldath: cap. $viii^5$. 340 Cap. iv^{10}. 371 bonum intendat: cf. Dionys. *De div. nom.* cap. 4 § 19 et 31 (PG 3,716 C et 732 C; Dion. 236 et 304) ut refert Thomas *I Pars* q. 103 a. 8. 372 ex praemissis: vers. 3 et 8.

[20] Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte ergo me ut plangam paululum dolorem meum, [21] antequam vadam et non revertar ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine,

qualis eius memoria post mortem remaneat: et hoc etiam mihi non defuisset, unde sequitur *de utero translatus ad tumulum*.

Nullus autem in poenis alicuius delectatus ita crudelis invenitur qui vel non ad modicum ab affligendo cesset; dato ergo quod Deus causa nativitatis hominis non esset, tamen dies hominis breves sunt et praecipue in comparatione ad aeternitatem Dei, et ista etiam brevitas, quando homo iam magnam partem vitae transivit, cito finienda expectatur, et hoc est quod dicit *Numquid non paucitas dierum meorum*, quia omnes dies vitae meae pauci sunt, *finietur brevi* iam ipsius paucitatis magna parte transacta? Non est ergo magnum si de cetero a percutiendo cesses, et hoc est quod concludit *Dimitte ergo me*. Et si tibi durum videtur quod vel ad horam absque afflictionibus sim, certum est quod etiam te cessante a percussione non mihi remanet unde gaudeam sed unde doleam, et hoc est quod subdit *ut plangam paululum dolorem meum*, scilicet quem ex praecedentibus percussionibus concepi; hoc autem dicit quia percuti se adhuc reputabat dum amici eum obiurgabant, de quibus dixerat «Instauras testes tuos contra me».

Et quia posset sibi responderi 'immo potius hic modico tempore affligendus es, quando hinc transibis consolationem invenies', quod posset esse dupliciter: uno modo iterato redeundo ad hanc vitam, et hoc excludit cum dicit *antequam vadam*, scilicet per mortem, *et non revertar*, ut iterum vivam – quod potest exponi dupliciter: uno modo ut dicat se non reverti ad similem modum vivendi, ut quidam fabulabantur; vel melius dicendum quod more disputatoris loquitur secundum id quod adversarii sentiunt antequam veritas manifestetur: infra autem Iob manifeste veritatem resurrectionis indicabit, et ideo in omnibus praecedentibus loquitur de resurrectione supponendo opinionem eorum cum quibus disputabat, qui non credebant aliam vitam esse nisi istam, sed in hac sola homines aut puniri aut praemiari pro malis ac bonis quae agunt –; alio modo posset post finem huius vitae consolationem expectare in ipso statu mortis, sed hoc excludit dicens *ad terram tenebrosam*, ad quam scilicet vadam post mortem.

Et potest hoc exponi dupliciter: uno modo de inferno ad quem animae omnium hominum descendebant etiam iustorum ante Christum, licet iusti ibi poenas sensibiles non paterentur sed solum tenebras, alii vero et poenas et tenebras; sed quia Iob sic locutus fuerat ac si dubium esset utrum ipse esset iustus ut rei veritas erat, vel peccator ut amici eius calumniabantur, describit infernum communiter et quantum ad bonos et quantum ad malos. Accipiendo ergo infernum sic communiter dicitur *terra tenebrosa* inquantum caret claritate divinae visionis; dicitur *operta mortis caligine* quantum ad peccatum originale quod est caligo inducens ad mortem; dicitur *terra miseriae* quantum ad poenas quas ibi reprobi patiuntur; dicitur *terra tenebrarum* quantum ad obscuritates peccatorum actualium quibus mali involvuntur; dicitur autem ibi esse *umbra*, idest similitudo, *mortis* quia sic affliguntur ac si semper morerentur; dicitur autem ibi *nullus ordo* esse vel propter confusionem mentium quam patiuntur damnati vel propter hoc quod ille ordo non ibi servatur qui hic: hic enim ignis ardet et lucet, quod ibi non est; *sempiternus* autem *horror* ibi *inhabitat* quia licet semper doleant de poenis praesentibus, semper tamen timent futuras.

Sed quia illi contra quos disputabat immortalitatem animae non ponebant ut sic post mortem remaneret, ipse autem adhuc loquitur secundum positiones eorum, melius quantum ad sensum litterae sic exponitur ut totum referatur ad corpus quod in terra sepelitur et in terram convertitur. Dicit ergo *ad terram tenebrosam* quantum ad ipsam proprietatem terrae, quae in se opaca est; sed licet in se sit opaca, tamen viventes qui super terram habitant illustrantur lumine aeris operientis terram, sed isto lumine mortui non perfruuntur, unde subdit *et opertam mortis caligine*, quasi dicat: mors facit ut post mortem aliquis non utatur lumine quo vivi utuntur. Contingit autem quandoque quod licet aliquis vivus

397 et *om.* F γ 399 ista] ita F F^2 δ^1 ita *praem.* pN 401 non *om.* F N β^1 422 fabulabantur] – lantur F β As Pd π 444 quantum ad^2 *om.* F N Va (*def.* F^2 V^2) 473 utatur] utitur β(-V^1) perfruatur N fruatur γ

413 Vers. 17. 422 quidam: cf. supra cap. 7 138 nota. 425 infra: cap. XIV^{13} et XIX^{25}. 429 non credebant: cf. supra cap. 5 315 et cap. 8 41. 436 de inferno: cf. Gregor. *IX Moral.* cap. 63 (PL 75,911 C). 437 descendebant: cf. supra cap. 7 182 nota. 454 vel...vel...: cf. *Glossa ordin.* super Iob X^{22}. 457 hic enim...non est: cf. Gregor. *IX Moral.* cap. 65 et 66 (PL 75,912 C et 914 C). 462 non ponebant: cf. lin. 429 nota. 468 opaca: cf. Albertus *I Mineral.* tr. 1 c. 9; Thomas *Super II De anima* 14.

[22] terram miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat.

lumine circumdante terram non perfruatur, tamen in aliquo occulto loco terrae existens fruitur desideratis quoad appetitum et considerat veritates secundum intellectum, sed hoc mortui carent, unde subdit *terram miseriae* quantum ad carentiam omnium desiderabilium, *et tenebrarum* inquantum deficit consideratio veritatum. Inter alia etiam in quibus vivi delectantur, praecipuum est societas humana cum debito ordine quo quidam praesunt et alii subsunt et alii serviunt, sed hoc mortui privantur, unde subdit *ubi umbra mortis*, quasi dicat: apud mortuos non sunt nisi umbrae secundum aestimationem viventium, ut dicitur Sap. XVII[4] «Personae apparentes tristes pavorem illis dederunt»; *et nullus ordo*, quia absque differentia honoris et dignitatis similis est condicio mortuorum; *sed sempiternus horror inhabitat*, quantum ad viventes quibus horrori sunt mortui, quasi dicat: nihil est in statu mortuorum nisi quae homines horrent, et hoc in sempiternum apud eos erit si ad vitam non redeunt.

Sic igitur Iob inquirendo causam suae tribulationis ostendit hoc non esse ab aliquo impio in cuius manu data sit terra, non esse a Deo calumniose opprimente, non esse a Deo culpam inquirente, non esse a Deo peccata puniente, non esse a Deo in poenis sibi complacente: unde adhuc remanet sub dubio causa tribulationis eius. Quae omnia prosequitur Iob ut de necessitate inducat eos ad ponendum aliam vitam in qua et iusti praemiantur et mali puniuntur, ex quo ea non posita non potest reddi causa tribulationis iustorum, quos certum est aliquando in hoc mundo tribulari.

487 apparentes tristes *inv.* β γ Va

496-499 non esse ab aliquo impio: cap. IX[24]; a Deo calumniose opprimente: supra vers. 3; culpam inquirente: vers. 4; peccata puniente: vers. 14; in poenis sibi complacente: vers. 18.

CAPITULUM XI

[1] Respondens autem Sophar Naamathites dixit: [2] Numquid qui multa loquitur nonne et audiet? Aut vir verbosus iustificabitur? [3] Tibi soli tacebunt homines, et cum ceteros irriseris a nullo confutaberis? [4] Dixisti enim: Purus est sermo meus et mundus sum in conspectu tuo. [5] Atque utinam Deus loqueretur tecum et aperiret labia sua tibi! [6] Ut ostenderet tibi secreta sapientiae et quod multiplex sit lex eius,

Respondens autem Sophar Naamathites dixit etc. Superius Iob inter cetera mala quae patiebatur, mirabiliter cruciari se dixerat ab amicis suis qui contra eum insurgebant quasi testes pro Deo, a quo verbo tactus Sophar respondit, unde dicitur *Respondens autem Sophar Naamathites dixit: Numquid qui multa loquitur nonne et audiet?*, quasi dicat: tu multa locutus es inordinate, unde non est mirum si ab amicis tuis reprehensus es; quia si homo qui loquitur multa non reprehenderetur, sequeretur hoc inconveniens quod homines ex hoc ipso quod sunt loquaces iusti reputarentur, unde sequitur *Aut vir verbosus iustificabitur*, idest iustus reputabitur? Et quia posset dicere Iob sibi debere deferri propter suam dignitatem, excludit hoc subdens *Tibi soli tacebunt homines, et cum ceteros irriseris a nullo confutaberis?* Intelligebat enim et alios esse irrisos in hoc quod eos testes Dei vocaverat et in hoc quod supra dixerat «Quare detraxistis sermonibus veritatis?», et ideo dicit non esse mirandum si etiam alii contra ipsum loquantur. Sed forte posset dicere quod non haberent quid dicerent contra eum vel contra verba eius, et ad hoc excludendum subdit *Dixisti enim: Purus est sermo meus:* hoc accipit ab eo quod supra dixerat «Non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit»; *et mundus sum in conspectu tuo:* hoc Iob expresse non dixerat, sed ex verbis eius accipere volebat quia disputaverat se non pro peccato punitum, vel ex eo quod dixerat «Scias quia nihil impium fecerim», vel ex eo quod supra dixit «Nonne dissimulavi? Nonne silui?».

Considerandum est autem quod cum peccatum sit obliquatio a lege Dei, non potest plene cognosci peccatum vel quantitas eius nisi lex Dei cognoscatur: «rectum enim est iudex sui ipsius et obliqui»; quod igitur Iob se diceret immunem a peccato vel non ita graviter peccasse sicut puniebatur, ex hoc reputabat Sophar accidere quod Iob legem Dei non perfecte cognosceret, et ideo dicit *Atque utinam Deus loqueretur tecum et aperiret labia sua tibi!* Hoc videtur in suggillationem Iob dicere, quia dixerat «Indica mihi cur me ita iudices»; et potest dici quod Deus simpliciter loquitur homini cum eius cordi aliquid de sua sapientia inspirat, secundum illud Psalmi «Audiam quid loquatur in me Dominus Deus»; labia autem sua aperit cum per aliquos effectus hominibus aliquid revelat: labiis enim formantur voces exterius quibus interiores conceptus cordis exprimimus.

Considerandum autem quod ab intellectu divinorum duplici ratione deficimus: primo quidem quia cum «invisibilia Dei» cognoscere non possimus nisi «per ea quae facta sunt», ea vero quae facta sunt multum deficiant a virtute factoris, oportet quod remaneant multa in factore consideranda quae nobis occultantur, et haec vocantur secreta sapientiae Dei, de quibus dicit *Ut ostenderet tibi secreta sapientiae.* Secundo quia etiam ipsum creaturarum ordinem ad plenum comprehendere non possumus secundum quod a divina providentia dispensatur; aliter enim est in humano regimine et aliter in divino: nam apud homines quanto aliquis est superior in regendo tanto eius ordinatio ad universaliora solum se extendit, particularia vero relinquit inferioribus rectoribus dispensanda, et sic lex regiminis superioris rec-

7 nonne] non *cum Vulg.* Sv Va sPd 17 irrisos] – sores N β 36 ipsius *om.* sN γ δ^1 π 53 possimus] possumus pN β(-V^1) Sv δ^1 π 55 deficiant] – ciunt β γ δ π 61 dispensatur] – santur N β^1 γ(-As) R

2 Superius: cap. x^{16}. 18 testes Dei: cap. x^{17}. 19 Cap. vi^{25}. 25 Cap. vi^{30}. 29 disputaverat: cap. x^{14}. 30 Cap. x^{7}. 31 Cap. iii^{26}. 34 obliquatio...: cf. ipse Thomas *I-II* q. 21 a. 1 et *Super Hebr.* xii^{13}. 36 Arist. *I De anima* 12 (411 a 5) ut refert Thomas *Super II Sent.* d. 42 q. 2 a. 4. 42 Cap. x^{3}. 46 Ps. LXXXIV^{9}. 49 quibus...exprimimus: sec. Arist. *I Periherm.* 2 (16 a 3) ut saepe refert Thomas, e. g. *I Pars* q. 85 a. 2 arg. 3. 53 Rom. i^{20}.

et intelligeres quod multo minora exigaris ab eo quam meretur iniquitas tua. [7] Forsitan vestigia Dei comprehendes et usque ad perfectum Omnipotentem reperies? [8] Excelsior caelo est, et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces? [9] Longior terra mensura eius et latior mari.

toris est universalis et simplex; sed Deus quanto est superior in regendo tanto eius ordinatio etiam usque ad minima se extendit: unde lex sui regimi-
70 nis non solum est secreta, si respiciamus ad altitudinem rectoris excedentem universam proportionem creaturae, sed etiam est multiplex, universa etiam singularia et minima sub certo ordine dispensans, et ideo addidit *et quod multiplex sit lex eius.*

75 Et hoc quidem non solum in rebus naturalibus est considerare, prout divino subduntur regimini, sed etiam in rebus humanis. Leges enim humanae, quia non potuerunt earum latores omnia singularia respicere, ad universalia quaedam respiciunt quae
80 ut in pluribus accidunt; qualiter autem universalia statuta humana sint factis singularibus applicanda relinquitur prudentiae operantis: unde in multis homo potest deficere a rectitudine, in quibus tamen non contrariatur legi humanitus positae; sed lex di-
85 vina secundum quod est in sapientia Dei ad omnia particularia et minima se extendit, et sic non potest contingere quod homo in aliquo a rectitudine discordet et non contrarietur legi divinae. Quia igitur homo ad ipsam legem divinam, prout est in secreto
90 sapientiae Dei inspiciendam, pertingere non potest et per consequens nec eius multiplicitatem agnoscere, contingit quod aliquando non putet se contra legem Dei agere cum tamen agat, vel parum delinquere cum multum delinquat, unde subdit *et intelli-*
95 *geres*, scilicet si essent tibi ostensa secreta sapientiae et multiplicitas legis Dei, *quod multo minora exigaris ab eo*, scilicet in sustinendo poenas, *quam meretur iniquitas tua*, quam vel non cognoscis vel aestimas parvam. Et in hoc videtur reprehendere quod Iob
100 supra dixerat «Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui et calamitas quam patior in statera! quasi arena maris haec gravior appareret».

Et quia supposuerat in divina sapientia esse aliquod secretum quod nondum erat Iob ostensum,
105 ne hoc posset negari, per sequentia confirmat dicens *Forsitan vestigia Dei comprehendes*. Vestigia signa sunt per viam procedentis; opera autem Dei viae ipsius dicuntur, et productio creaturarum a Deo quidam processus Dei intelligitur in creaturas, prout divina bonitas ab eo in quo simpliciter et summe 110
existit gradatim ad effectus derivata procedit dum superiora inferioribus meliora inveniuntur: vestigia ergo Dei sunt signa quaedam in creaturis inventa, ex quibus per eas Deus aliquatenus cognosci potest. Sed cum humana mens nec ipsas creaturas totaliter 115
et perfecte cognoscere possit, multo minus et de ipso creatore perfectam notitiam habere potest, et ideo interrogando subdit *et usque ad perfectum Omnipotentem reperies?*, quasi dicat: si creaturas perfecte cognoscere non potes, multo minus nec creatorem; 120
et signanter dicit *reperies* quia per quandam inquisitionem ratio ab effectibus procedit ad causam, quam dum per effectus cognoscit eam dicimur invenire.

Nec est mirum si creaturis non perfecte cognitis 125
creator non perfecte cognoscitur, quia etiam creaturis perfecte cognitis adhuc creator non perfecte cognosceretur: tunc enim per effectus perfecte causa cognosci potest quando effectus adaequant causae virtutem, quod de Deo dici non potest, et ideo sub- 130
dit *Excelsior caelo est, et quid facies? Profundior inferno, <et unde cognosces>? Longior terra mensura eius et latior mari.* Haec sub metaphora dicuntur: non enim debet intelligi quod Deus qui incorporeus est dimensionibus corporalibus distendatur, sed magni- 135
tudinem virtutis sub similitudine magnitudinis <corporalis> describit, quia quantumcumque <quantitates> corporeae videntur esse magnae vel altitudine vel profunditate vel longitudine vel latitudine, deficiunt tamen a magnitudine virtutis Dei quae ma- 140
iora facere posset, et ideo signanter Deum 'Omnipotentem' prius nominavit. Ex hoc ergo ostendit quod perfecte in creaturis inveniri non potest, quia dato quod omnes creaturae perfecte cognoscerentur, ex eis cognosci <non> posset virtus ei aequalis: 145
quod ergo medium sumi potest ad cognoscendum

81 singularibus] singulis N γ 100 appenderentur] apprehenderentur N β(-V¹) As δ¹ 108 et *om.* F N 123 dicimur] — mus γ(-F²) — tur δ¹ π 132 <et unde cognosces> *cf. lin.* 149] *om.* F pN β¹ γ(-Sv) R 136 <corporalis> *suppl. cum* sN Va] *om. cet.* 137 <quantitates> *coni.*] *om. codd.* 138 corporeae] *om.* sN β¹ *post* videntur V² corporea γ π corporales magnitudines Va 138 magnae] magna γ(-As) magnitudine F² As π 145 <non> *suppl. cum* sN] *om. cet.* ei] eius N F² γ π eis δ

79 ad universalia...accidunt: cf. *I Digesta* tit. 3 lege 3 (ed. Mommsen 34) ut refert Thomas *I-II* q. 96 a. 1 sed c.; vide etiam Arist. *V Ethic.* 16 (1137 b 13) cum expos. Thomae. 100 Cap. vi². 106 signa: cf. Isid. *XV Etymol.* cap. 16 (PL 82,558 B). 128 per effectus...virtutem: cf. ipse Thomas *Super Boet. De Trin.* q. 1 a. 2, *III Cont. gent.* cap. 49.

[10] Si subverterit omnia vel in unum coartaverit, quis contradicet ei? Vel quis dicere ei potest: Cur ita facis? [11] Ipse enim novit hominum vanitatem, et videns iniquitatem, nonne considerat? [12] Vir vanus in superbiam erigitur, et tamquam pullum onagri natum se liberum putat. [13] Tu autem firmasti cor tuum et expandisti ad Deum manus tuas. [14] Si iniquitatem quae est in manu tua abstuleris a te, et non manserit in tabernaculo tuo iniustitia, [15] tum levare poteris faciem tuam absque macula, et eris stabilis et non timebis.

virtutem Dei secundum quod excedit omnem creaturam? Et hoc significat cum dicit *quid facies?* et *unde cognosces?*

Non solum autem divina virtus excedit omnem creaturam in producendo sed etiam in conservando: non enim creaturae conservatio est nisi a Deo, nec est aliqua virtus in creatura quae divinae voluntati resistere posset si ipsam creaturam ulterius conservare non vellet, et ideo subdit *Si subverterit omnia*, in nihilum redigendo, subtrahendo scilicet eis esse, *vel in unum coartaverit*, confusionem inducendo per subtractionem ordinis quo res distinguit, *quis contradicet ei?*, idest quae virtus creaturae poterit esse contraria, contra eius voluntatem conservans vel se vel alia in esse? Sed ne aliquis dicat quod licet nihil posset conservari in esse nisi per eum, tamen quasi ex debito res in esse conservat, ad hoc excludendum subdit *Vel quis dicere ei potest: Cur ita facis?*, quasi ab eo exigens rationem de debito praetermisso.

Ipse enim novit hominum vanitatem etc. Postquam ostendit Sophar quod in divina sapientia est aliquid secretum quod homini incomprehensibile est, procedit ad aliud manifestandum quod prius supposuerat, scilicet quod Deus pro peccato ab homine exigat poenam et, ad hoc quidem manifestandum, quod Deus facta hominum cognoscat, unde dicit: recte dico quod exigeris a Deo minora quam mereatur tua iniquitas, *Ipse enim novit hominum vanitatem*, idest hominum facta vana. Vana autem dici consueverunt quae instabilia sunt eo quod debitis finibus non stabiliuntur: ex hoc igitur est vanitas hominis quod cor eius in veritate non figitur per quam solam potest stabiliri, et ex hoc quod a veritate recedit iniquitatem operatur, dum videlicet appetit illud quod apparet bonum loco eius quod est bonum, unde subdit *et videns*, scilicet Deus, *iniquitatem*, ex vanitate hominum prodeuntem, *nonne considerat*, scilicet ad puniendum? Tunc enim iudex peccatum videns inconsiderate pertransire videtur quando dissimulat et poenam apponere non curat, quod de Deo videtur non esse dicendum: cum igitur ipse videat hominum vanitatem, pro iniquitate exigit poenam.

Sicut autem ex vanitate contingit quod homo ad iniquitatem declinat, ita ex eadem vanitate provenit quod homo divino iudicio se subiectum esse non reputat, et ideo subdit *Vir vanus in superbiam erigitur*, ut scilicet suo superiori se subditum esse non credat, et hoc est quod subdit *et tamquam pullum onagri natum se liberum putat.* Onager asinus silvestris est, cuius pullus ab hominis dominio liber nascitur; pulli autem asinorum qui ab hominibus possidentur in servitute hominum nascuntur: homines igitur qui se divino iudicio subiectos esse non putant reputant se quasi pullos onagri natos, licet videant alios homines eiusdem condicionis divino iudicio coerceri. Hoc in suggillationem beati Iob dicere videbatur, intelligens ex verbis eius quod quasi de pari cum Deo vellet contendere quia dixerat «Auferat a me virgam suam et pavor eius non me terreat; loquar et non timebo eum», et ideo subdit *Tu autem firmasti cor tuum*, ut scilicet defenderes iniquitatem tuam. Et tamen cum hac cordis obfirmatione, *expandisti ad Deum manus tuas* orando, supra scilicet cum dixit «Dicam Deo: Noli me condemnare»; et ideo inutilis est oratio tua: utilis enim oratio est quando homo primo iniquitatem dimittit et postea a Deo petit ut a puniendo cesset. Et hoc est quod subdit *Si iniquitatem quae est in manu tua abstuleris a te*, ut scilicet desistas ab opere iniquo quod adhuc prae manibus habes, *et non manserit in tabernaculo tuo iniustitia*, ut scilicet quae iniuste accepta reposita habes restituas, vel ut tuos familiares corrigas pro quorum delictis interdum domini puniuntur propter negligentiam corrigendi, *tum levare poteris*, scilicet ad Deum orando, *faciem tuam absque macula*, scilicet culpae. Et sic cessabit con-

171 quod] ostendit *praem.* F^2 Sv δ^1 π supponit *praem.* V^2 est *praem.* F^2 inducit *praem.* Va (*def.* As) 183 prodeuntem] — te F β(-V^1) procedentem As δ π 197 silvestris] — ter N γ(-Sv) Va 199 servitute] — tem N V^1 F^2 δ^1 π — tes Sv 202 videant] inveniant N V^1 violenter V^2 dicant γ 221 tum] tunc sN β^1 γ Va *ipse Thomas infra cap.* 12 52 iterum δ^1 π

176 quae instabilia: cf. ipse Thomas *De malo* q. 9 a. 1, *Super Rom.* 1^{21} et *Super Gal.* v^{26}. 196 asinus silvestris: cf. *Glossa ordin.* super Osee VIII^{8}. 206 Cap. IX^{34}. 211 Cap. X^{2}.

[16] Miseriae quoque oblivisceris et quasi aquarum quae praeterierunt non recordaberis. [17] Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, et cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer. [18] Et habebis fiduciam, proposita tibi spe, et defossus securus dormies; [19] requiesces et non erit qui exterreat, et deprecabuntur faciem tuam plurimi. [20] Oculi autem impiorum deficient et effugium peribit ab eis, et spes eorum abominatio animae.

demnatio, primo quidem quantum ad futura, unde subdit *et eris stabilis*, ut scilicet ulterius per tribulationes non commovearis, *et* etiam *non timebis* futura pericula; et quia aliquando licet non timeat de futuro, homo tamen affligitur pro his quae amisit vel passus est, subiungit *Miseriae quoque*, scilicet quam hactenus passus es, *oblivisceris*, propter abundantiam bonorum supervenientium; et hoc exemplo confirmat cum subdit *et quasi aquarum quae praeterierunt non recordaberis*, quod dicit quia homo post tempestatem pluviae, cum serenitas advenit, pluviarum praecedentium obliviscitur, vel propter hoc quod aquae fluviorum citissime <currunt>, et earum postquam transeunt nulla remanet memoria.

Sed quia contra promissionem prosperitatis in hac vita Iob supra duo opposuerat, scilicet devastationem proprii corporis cum dixit «Induta est caro mea putredine», et praeteritionem dierum vitae suae cum dixit «Dies mei velocius transierunt» etc., ideo ad utramque obiectionem excludendam subiungit *Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam*, ac si dicat: licet tibi videatur quod dies tui pertransierint et vita tua sit in fine quasi ad vesperam, tamen tanta poterit tibi supervenire prosperitas quod quasi reducet te ad gaudium iuventutis tuae: sicut enim per vesperam intelligitur senectus, ita per meridiem iuventus; fulgorem autem vocat claritatem terrenae prosperitatis. Contra hoc vero quod dixerat de consumptione proprii corporis subiungit *et cum te consumptum putaveris*, scilicet propter infirmitatem quam passus es, *orieris ut Lucifer*, idest ad pristinum decorem revertetur corpus tuum.

Et quia iterum supra Iob dixerat quod dies sui consumpti erant «absque ulla spe», subiungit *Et habebis fiduciam, proposita tibi spe*. Et quia Iob supra improbaverat opinionem dicentium quod homo post mortem, transactis multis saeculis, iterum redit ad hunc modum vivendi, non huius rei spem dicit ei esse propositam sed secundum quod homo post mortem vivit in memoriis hominum. Quod quidem ex duobus contingit: uno quidem modo ex tumulis in quibus corpora mortuorum conduntur ut conservetur memoria defunctorum, unde et monumenta dicuntur, et quantum ad hoc dicit *et defossus securus dormies*, quasi nullus sepulcrum tuum violabit, nec etiam timendum erit quod aliquis attentet, unde subdit *requiesces et non erit qui exterreat;* alio modo mortui vivunt in memoriis hominum propter bona quae fecerunt dum viverent, ex quibus eorum vita desideraretur, et quantum ad hoc subdit *et deprecabuntur faciem tuam plurimi*, idest plurimi exoptabunt praesentiam tuam vel reverentiam exhibebunt tumulo tuo, memorantes beneficia tua.

Et quia haec promiserat si Iob ab iniquitate vellet discedere, ostendit consequenter quod iniquis ista non dantur, et ideo subdit *Oculi autem impiorum deficient*, quia videlicet bona quae exoptant non obtinebunt: tunc enim oculi alicuius deficere dicuntur quando aspicit ad aliquod apprehendendum ad quod attingere non valet. Et sicut bona desiderata non adipiscuntur, ita etiam mala quae patiuntur vel timent vitare non possunt, unde sequitur *et effugium peribit ab eis*, quia scilicet non poterunt fugere mala. Post mortem autem non erunt in veneratione vel desiderio sed in abominatione propter mala quae fecerunt, et hoc est quod subditur *et spes eorum abominatio animae*, idest illud quod de eis potest sperari post mortem est quod sint in abominatione.

236 <currunt> *coni.*] *om.* F pN β Va fluunt sN transeunt γ δ^1 π et earum] currentium Va 274 exoptabunt] expectabunt β(-F^2) γ Pd π 282 aliquod] aliquid F As δ(-R) π

240 Cap. VII^5. 242 Cap. VII^6. 256 supra: cap. VII^6. 258 supra: ibid. 266 monumenta: cf. August. *De cura pro mori.* cap. 4 (PL 40,596) sec. Thomam *Super IV Sent.* d. 45 q. 2 a. 3 qc. 3.

CAPITULUM XII

[1] Respondens autem Iob dixit: [2] Ergo vos soli estis homines, et vobiscum morietur sapientia? [3] Et mihi est cor sicut et vobis, nec inferior vestri sum: quis enim haec quae nostis ignorat? [4] Qui deridetur ab amico suo sicut ego invocabit Deum, et exaudiet eum. Deridetur enim iusti simplicitas, [5] lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum.

Respondens autem Iob dixit etc. Sophar in verbis praecedentibus conatus fuerat ostendere quod secreta sapientiae Dei homo comprehendere non potest, ad suggillandum Iob qui quasi cum Deo disputationem requirere videbatur. Et sicut ex verbis eius et aliorum amicorum perpendi potest, circa tria tota eorum versabatur intentio: primo enim studebant ad dicendum aliqua magnifica de Deo, extollentes eius sapientiam et potentiam et iustitiam, ut ex hoc eorum causa favorabilior appareret; secundo huiusmodi magnifica de Deo assumpta ad falsa quaedam dogmata applicabant, utpote quod propter iustitiam homines prosperarentur in hoc mundo et propter peccata tribularentur, et quod post hanc vitam non esset aliquid expectandum; tertio ex huiusmodi assertionibus, propter adversitatem quam patiebatur Iob, arguebant eum quasi iniquum et promittebant ei quaedam inania si iniquitatem desereret, utpote quod «defossus securus» dormiret et quod ad vesperam oriretur ei fulgor meridianus, quae Iob quasi irrisiones reputabat: et circa haec tota Iob responsio versatur. Primo ergo contra eos loquitur de hoc quod se extollebant, quaedam magnalia de Deo proponentes ac si soli ipsi ea scirent et Iob ea ignoraret, et ideo dicitur *Respondens autem Iob dixit: Ergo vos soli estis homines?*, quod sequitur si vos haec solos scire reputatis de magnitudine Dei quae omnes homines cognoscunt; et cum in cognitione magnitudinis Dei consistat sapientia, sequitur quod, si haec soli vos nostis, quod in vobis solum sit sapientia, et ita cessantibus vobis sapientia cessat, et ideo subdit *et vobiscum morietur sapientia?*, quasi dicat: inconveniens est vel quod vos soli sitis homines vel quod vos soli sitis sapientes.

Sed quia possent dicere 'non soli nos scimus sed tamen tu nescis', respondet subdens *Et mihi est cor*, scilicet ad haec scienda, *sicut et vobis, nec inferior vestri sum*, quantum scilicet ad hanc cognitionem. Et ne hoc arrogantiae posset ascribi, subiungit *quis enim haec quae nostis ignorat?*, quasi dicat: non est magnum si dico me scire ea quae scitis quia non est magnum ea scire, cum quilibet ea sciat; sed in hoc quod me haec ignorare reputatis, me contemptui habere videmini quasi ignorem ea quae omnes sciunt, unde subdit *Qui deridetur ab amico suo sicut ego*, a vobis scilicet dum me insipientem reputatis, *invocabit Deum, et exaudiet eum*, quia ubi deest auxilium humanum ibi maxime adest auxilium divinum, secundum illud Psalmi «Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me»; et in hoc videtur quasi respondere ei quod supra dixerat Sophar «Tunc levare poteris faciem tuam», ac si dicat: non oportet me amplius expectare ad fiducialiter orandum, quia ex hoc ipso quod ab amicis derideor datur mihi spes recurrendi ad Deum.

Quare autem irrisus ab amico a Deo exaudiatur, ostendit subdens *Deridetur enim iusti simplicitas*, ubi ostendit et qui sunt qui derideantur et quare, et etiam a quibus, cum subdit *lampas contempta apud cogitationes divitum*. Derideri enim deficientis est, deridere autem superabundantis; qui autem in virtutibus superabundant eos qui in virtutibus deficiunt non irridenti, sed magis compatiuntur et iuvant si possunt, sed illi qui in temporalibus abundant maxime solent irridere eos qui in temporalibus deficiunt, et praecipue quando studium non adhibent ad temporalia conquirenda; studium autem iustorum non est ad temporalia conquirenda sed ad rectitudinem sectandam, unde a fraudibus et dolis abs-

3 non *om.* pF pN F^2 29 sequitur] sequetur F V^2 F^3 Pd π sequeretur As (*def.* F^2) 44 ignorem] ignorare pN V^1 Va ignorarem V^2 Pd π 45 suo] scilicet F N β(-V^1) pVa

3 secreta sapientiae: cap. XI[6] 19 Cap. XI[18,17]. 22 Primo: cf. 'Postquam' cap. 13 1. 49 Ps. XXVI[10]. 52 Cap. XI[15].

[6] Abundant tabernacula praedonum et audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum. [7] Nimirum interroga iumenta et docebunt te, et volatilia caeli et indicabunt tibi; [8] loquere terrae et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris. [9] Quis ignorat quod omnia haec manus Domini fecerit? [10] In cuius manu est anima omnis viventis et spiritus universae carnis hominis.

tinent quibus plerumque divitiae acquiruntur, et ex hoc simplices reputantur: ergo ut plurimum deridentur iusti. Causa autem irrisionis est simplicitas, sed non sic irridetur quasi malum manifestum sed quasi bonum occultum, et ideo hic simplicitas vocatur *lampas* propter claritatem iustitiae, sed *contempta apud cogitationes divitum*, scilicet qui finem suum in divitiis ponunt – qui enim summum bonum in divitiis ponit, oportet quod cogitet quod intantum sunt aliqua magis bona inquantum magis prosunt ad divitias conquirendas –, unde oportet quod eis sit contemptibilis iustorum simplicitas per quam divitiarum multiplicitas impeditur. Sed licet ipsa simplicitas iustorum in cogitationibus divitum contemnatur, tamen suo tempore a fine debito non fraudatur, unde dicit *parata ad tempus statutum;* non autem dicit hoc quasi in aliquo tempore praesentis vitae iustis pro sua simplicitate aliqua terrena prosperitas sit reddenda, sed indeterminatum relinquit quod sit istud tempus statutum et ad quem finem iustorum simplicitas praeparetur: nondum enim ad hoc disputatio pervenit sed in sequentibus ostendetur. Sic igitur Iob occulte insinuat quare ab amicis irrideretur, quos divites vocat, quia prosperitatem huius mundi finem hominis ponebant quasi praemium iustitiae hominis; ipse autem sua simplicitate non hoc praemium quaerebat sed aliud in tempore statuto, et ideo fiduciam habebat ut si invocaret Dominum ab eo exaudiretur.

<Et> quia divites iusti simplicitatem irridentes non in hoc sistunt sed usque ad contemptum Dei procedunt, unde subditur *Abundant tabernacula praedonum:* consequens enim est quod, ex quo aliqui finem suum in divitiis ponunt, quod omnes vias exquirant ad hunc finem ultimum consequendum vel fraudando vel quocumque alio modo, et sic efficiuntur praedones et dum praedantur divitiis abundant; ex hac autem abundantia sequitur contemptus Dei, unde subditur *et audacter provocant Deum.* Tunc enim aliquis aliquid audacter facit quando credit hoc esse bonum quod facit: cum enim conscientia remordet de malo, non sine timore homo perpetrat malum quia, ut dicitur Sap. XVII[10], «Cum sit timida nequitia data est in omnium condemnationem»; qui autem finem ultimum in divitiis ponunt, ex hoc ipso aestimant bona omnia esse per quae hunc finem consequuntur; manifestum est autem quod cum divitias acquirunt praedando, provocant Deum contra eius iustitiam facientes: unde consequens est quod audacter provocent Deum. Vel aliter: ex divitiis homo in superbiam erigitur reputans se per eas sibi sufficere, et ex hoc contemnit Deum audacter in divitiis suis confidens, secundum illud Deut. XXXII[15] «Incrassatus est dilectus et recalcitravit».

Sed quia dixerat abundare praedonum tabernacula qui provocant Deum, ne forte responderetur quod talis abundantia non est a Deo, subiungit *cum ipse dederit omnia in manibus eorum*, idest in potestate eorum, quia potestas nocendi alicui non est nisi a Deo, voluntas autem malefaciendi non est nisi a se ipso, et ideo in hoc quod praedantur Deum provocant, sed abundantia consequens est eis a Deo. Et hoc consequenter probat cum subdit *Nimirum interroga iumenta et docebunt te, et volatilia caeli et indicabunt tibi; loquere terrae et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris;* quid autem omnia ista interrogata respondeant, ostendit subdens *Quis ignorat quod omnia haec manus Domini fecerit?* Hoc ergo est quod omnia confitentur se a Deo esse facta; tunc autem homo creaturas interrogat quando eas diligenter considerat, sed interrogatae respondent dum per considerationem ipsarum homo percipit quod tanta ordinatio quae invenitur in dispositione partium, in ordine actionum, nullo modo posset esse nisi ab aliqua superiori sapientia dispensante. Si autem huiusmodi creaturae a Deo factae sunt, manifestum est quod in Dei potestate sunt sicut artificiata in potestate artificis, et ideo subdit *In cuius manu*, idest potestate, *est anima omnis viventis*, et non solum aliorum animalium sed *et spiritus univer-*

80 magis[1]] magna N β(-F[2]) *om.* Va 83 multiplicitas *scripsi. cum* F *s*N] simplicitas pN β[1] fertilitas Va acquisitio V[2] cumulatio γ δ[1] π 89 indeterminatum] – nate F pN F[2] Sv 94 irrideretur] – detur N F[2] Sv deridetur δ π 100 <Et> *coni.*] sed V[2] Va *om. cet.* 103 aliqui] aliquis pF pN β(-F[2]) γ 136 quid] quod N β(-V[2]) qui V[2] quomodo Va 141 interrogatae *scripsi. cum* F[2] π] – gata *cet.* 142 ipsarum] ipsorum As δ π

95 ponebant: cf. supra cap. 2 210. 129 potestas nocendi...: cf. supra cap. 1 572 nota.

11 Nonne auris verba diiudicat, et fauces comedentis saporem? 12 In antiquis est sapientia et in multo tempore prudentia. 13 Apud ipsum est sapientia et fortitudo, ipse habet consilium et intelligentiam. 14 Si destruxerit nemo est qui reaedificet, et si incluserit hominem nullus est qui aperiat.

sae carnis hominis; si autem in potestate eius sunt, manifestum est quod nullus <illas> habere potest nisi ab ipso, secundum illud Dan. IV[14] «Dominatur Excelsus in regno hominum, et cuicumque voluerit dabit illud». Manifestum est igitur quod et terram et animalia de quibus supra dixerat, in quibus humanae divitiae consistunt, nullus homo habere potest nisi Deus in manu eius dederit: et sic si praedones abundant, Deus dedit in manibus eorum; per hoc ergo confutatur illorum opinio qui ponebant divitias a Deo dari pro merito iustitiae, cum etiam praedonibus a Deo dentur.

[23] Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro [24] stilo ferreo, aut lamina plumbi, vel certe sculpantur in silice? [25] Scio enim quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum.

Quis mihi tribuat ut scribantur etc. Dixerat superius Iob spem suam esse ablatam «quasi arboris avulsae», quod quidem dixit referens ad spem temporalis prosperitatis recuperandae, ad quam eum amici eius multipliciter incitabant; hanc autem spem sibi habendam non esse supra multipliciter ostendit ad diversa inconvenientia deducendo, nunc autem manifeste suam intentionem aperit ostendens se praedicta non dixisse quasi de Deo desperans, sed quia altiorem spem de eo gerebat non quidem relatam ad praesentia bona sed ad futura. Et quia grandia et mira et certa dicturus erat, praeostendit desiderium suum ad hoc quod sententia quam dicturus erat in fide posterorum perpetuetur; transmittimus autem sensus et verba nostra in posteros per scripturae officium, et ideo dicit *Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei*, quos scilicet dicturus sum de spe quam in Deo firmavi, ne oblivioni deleantur? Solent autem ea quae atramento scribuntur per longinquitatem temporis deleri, et ideo quando volumus aliquam scripturam in longinquum servari, non solum per modum scripturae eam describimus sed per aliquam impressionem sive in pelle sive in metallo sive in lapide; et quia illud quod sperabat non erat in proximo futurum sed in fine temporum reservatur implendum, ideo subdit *Quis mihi det ut exarentur in libro stilo ferreo*, quasi impressione aliqua facta in pelle, *aut*, si hoc parum est, impressione facta fortiori in *lamina plumbi*, *vel*, si et hoc parum videtur, *certe sculpantur* stilo ferreo *in silice?* Qui sunt autem hi sermones quos tanta diligentia velit conservari, ostendit subdens *Scio enim quod redemptor meus vivit*, et signanter hoc per modum causae assignat: ea enim quae pro certo non habemus non curamus mandare memoriae, et ideo signanter dicit *Scio enim*, scilicet per certitudinem fidei. Est autem haec spes de gloria resurrectionis futurae, circa quam primo assignat causam cum dicit *redemptor meus vivit*. Ubi considerandum quod homo qui immortalis fuerat constitutus a Deo mortem per peccatum incurrit, secundum illud Rom. v[12] «Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors», a quo quidem peccato per Christum redimendum erat genus humanum, quod Iob per spiritum fidei praevidebat. Redemit autem nos Christus de peccato per mortem, pro nobis moriendo; non autem sic mortuus est quod eum mors absorberet, quia etsi mortuus sit secundum humanitatem mori tamen non potuit secundum divinitatem; ex vita autem divinitatis etiam humanitas est reparata ad vitam resurgendo, secundum illud II ad Cor. ult. «Nam etsi crucifixus est ex infirmitate nostra, sed vivit ex virtute Dei»; et vita autem Christi resurgentis ad omnes homines diffundetur in resurrectione communi, unde et ibidem subdit Apostolus: «Nam et nos infirmi sumus in illo, sed vivemus in eo virtute Dei in nobis», unde et Dominus dicit Ioh. v[25] «Mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent: sicut enim Pater habet vitam in semet ipso sic dedit et Filio vitam habere in semet ipso». Est ergo primordialis causa resurrectionis humanae vita Filii Dei, quae non sumpsit initium ex Maria, sicut Ebionitae dixerunt, sed semper fuit, secundum illud Hebr. ult. «Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula», et ideo signanter non dicit 'redemptor meus vivet' sed *vivit*. Et ex hac causa futuram resurrectionem praenuntiat, tempus ipsius determinans, cum subdit *et in novissimo die de terra surrecturus sum*, ubi considerandum est quod quidam ponentes motum caeli et hunc statum mundi in aeternum duraturum, posuerunt quod post certas revolutiones annorum, redeuntibus stellis ad situs eosdem, homines mortui repararentur ad vitam; cum autem dies ex motu caeli causetur, si motus caeli in aeternum durabit nullus erit novissimus dies: et ideo ad praedictum errorem tollendum signanter dicit *in novissimo die*, et concordat sententiae Domini, qui dicit Ioh. vi[40] «Ego resuscitabo eum in novissimo die».

219 incitabant] invitabant F^2 γ δ π intrabant V^2 224 quidem *scrips. cum* sV[1] quia F N β(-sV[1]) F^3 quasi γ(-F^3) δ π 226 praeostendit] prius ostendit F F^2 primo ostendit V^2 (*def.* F^3 Va R) 228 erat] *om.* N est β Pd (*def.* F^3 Va R) 228 in fide] in fidei F N pV[1] *om.* V^2 (*def.* R) posterorum] —riorum V^1 As δ(*def.* R) π peccatorum N *om.* β(-V^1) 247 et *om.* N β 250 scilicet] quia *praem.* N δ(-Pd) quasi Pd 253 considerandum] est *add.* γ δ(-R) π 268 et *om.* V^2 γ δ π 272 virtute] vel *praem.* F^2 per virtutem V^2 scilicet in *praem.* δ(-Pd) scilicet *praem.* γ Pd π 287 post] *om.* F N V^1 secundum F^2 289 repararentur] reparentur N β[1] As δ[1] π reparandos V^2 reparantur Sv

216 Vers. 10. 220 supra: vers. 11-20. 267 II Cor. XIII[4]. 278 Ebionitae: apud Gennadium *De eccles. dogm.* cap. 2 (PL 58,981 C) ut refert Thomas *Super III Sent.* d. 2 q. 1 a. 3 qc. 2; vide etiam August. *De haeres.* 10 (PL 42,27). 279 Hebr. XIII[8]. 285 quidam: cf. supra cap. 7 138 nota.

[26] Et rursum circumdabor pelle mea et in carne mea videbo Deum, [27] quem visurus sum ego ipse et oculi mei conspecturi sunt et non alius. Reposita est haec spes mea in sinu meo. [28] Quare ergo nunc dicitis: Persequamur eum et radicem verbi inveniamus contra eum? [29] Fugite ergo a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius eius, et scitote esse iudicium.

Fuerunt alii qui dixerunt quod homines resurgent resumendo non terrena sed quaedam caelestia corpora, sed ad hoc excludendum subdit *Et rursum circumdabor pelle mea*, quod signanter dicit quia supra dixerat solam pellem circa ossa remansisse; ex ipso autem modo loquendi rationem resurrectionis assignat, ne scilicet anima a proprio indumento semper remaneat denudata. Rursus fuerunt alii qui dicerent animam idem corpus quod deposuerat resumpturam sed secundum condicionem eandem, ut scilicet indigeat cibis et potibus et alia opera carnalia huius vitae exerceat, sed hoc excludit subdens *et in carne mea videbo Deum*. Manifestum est enim quod caro hominis secundum statum vitae praesentis corruptibilis est; «corpus autem quod corrumpitur aggravat animam», ut dicitur Sap. IX[15], et ideo nullus in hac mortali carne vivens potest Deum videre; sed caro quam anima in resurrectione resumet eadem quidem erit per substantiam sed incorruptionem habebit ex divino munere, secundum illud Apostoli I ad Cor. XV[53] «Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem», et ideo illa caro huius erit condicionis quod in nullo animam impediet quin Deum possit videre, sed erit ei omnino subiecta. Quod ignorans Porphyrius dixit quod «animae, ad hoc quod fiat beata, omne corpus fugiendum est», quasi anima sit Deum visura non homo, et ad hoc excludendum subdit *quem visurus sum ego ipse*, quasi dicat: non solum anima mea Deum videbit sed *ego ipse* qui ex anima et corpore subsisto. Et ut ostendat quod illius visionis etiam suo modo erit particeps corpus, subiungit *et oculi mei conspecturi sunt*, non quia oculi corporis divinam essentiam sunt visuri sed quia oculi corporis videbunt Deum hominem factum; videbunt etiam gloriam Dei in creatura refulgentem, secundum Augustinum in fine De civitate Dei. Et ut idem numero non solum specie reparandus homo credatur ad Deum videndum, subiungit *et non alius*, scilicet numero, ne credatur talem se vitae reparationem expectare qualem describit Aristotiles in II De generatione, dicens quod quorumcumque substantia est corruptibilis mota reiterantur eadem specie non eadem numero.

His igitur praemissis de causa resurrectionis, tempore et modo, et gloria resurgentis et identitate eiusdem, subiungit *Reposita est haec spes mea in sinu meo*, quasi dicat: non est spes mea in terrenis quae vane promittitis, sed in futura resurrectionis gloria. Signanter autem dicit *Reposita est in sinu meo*, ad ostendendum quod hanc spem non solum habebat in verbis sed in corde absconditam, non dubiam sed firmissimam, non quasi vilem sed quasi pretiosissimam: quod enim in sinu absconditur in occulto habetur et firmiter conservatur et carum reputatur.

Sic ergo ostensa altitudine spei suae quam habebat de Deo, excludit eorum calumnias quas contra eum quaerebant, quasi Dei spem et timorem abiecisset quia in temporalibus spem non ponebat, unde subdit *Quare ergo nunc dicitis: Persequamur eum*, scilicet tamquam de Deo desperantem vel Deum non timentem, *et radicem verbi inveniamus contra eum*, improbando dicta mea quasi providentiam Dei negaverim? Quam non nego sed assero dicens praemia et poenas a Deo praeparari hominibus etiam post hanc vitam, et ideo subdit *Fugite ergo a facie gladii*, idest divinae ultionis in futura vita vobis reservatae, quamvis temporali prosperitate floreatis, *quoniam ultor iniquitatum gladius eius*, idest ultio quam ipse proprie inducet post mortem; *et scitote esse iudicium*, non solum in hac vita sed etiam post hanc vitam in resurrectione bonorum et malorum.

322 ipse] et non alius *add.* F γ π 327 sunt[2]] sint β(-V[1]) As Va (*def.* Pd) 336 reiterantur] —ratur β(-F[2]) γ π 352 timorem] amorem F N (*def.* F[2]) 363 eius] est *cum Vulg.* β[1] γ δ π

295 alii: quidam haeretici moderni sec. Thomam *Super IV Sent.* d. 44 q. 1 a. 1 qc. 1 et *De artic. fidei* art. 5; cf. Moneta Cremon. *IV Adversus Catharos* cap. 7 § 2 (ed. T.A. Ricchinius, Romae 1743, p. 353). 298 supra: vers. 20. 302 alii: Iudaei (cf. supra cap. 7 229 nota) et Saraceni sec. Thomam *IV Cont. gent.* cap. 83; ipse Mahumetus 'ut patet eius legem inspicienti' sicut habetur *I Cont. gent.* cap. 6, cf. *Coran* Petro Venerab. interpr. azoara 23 et 54 (ed. L. Bibliander, Tiguri 1550, p. 82 et 154); Cerinthiani sive Chiliastae ut dicitur *III Cont. gent.* cap. 27, cf. Augustin. *XX De civ. Dei* cap. 7 (PL 41,667) et *De haeres.* 8 (PL 42,27). 311 mortali carne: cf. Alcuinus *Super Ioh.* I[15] (PL 100,752 B). 319 Ut recitat August. *XXII De civ. Dei* cap. 26 (PL 41,794) quem allegat Thomas *I-II* q. 4 a. 6. 330 Lib. XXII c. 29 (PL 41,800). 335 Cap. 11 (338 b 16).

CAPITULUM XX

[1] Respondens autem Sophar Naamathites dixit: [2] Idcirco cogitationes meae variae succedunt sibi, et mens in diversa rapitur. [3] Doctrinam qua me arguis audiam, et spiritus intelligentiae meae respondebit mihi. [4] Hoc scio a principio ex quo est positus homo super terram, [5] quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritae ad instar puncti. [6] Si ascenderit usque in caelum superbia eius et caput eius nubes tetigerit, [7] quasi sterquilinium in fine perdetur, et qui eum viderant dicent: Ubi est?

Respondens autem Sophar Naamathites dixit: Idcirco cogitationes meae etc. Sophar, audita sententia Iob de spe futurae vitae, acquievisse videtur, unde et post hanc responsionem secundam eius tertio nihil contradixit. Sed tamen adhuc erat aliquid in corde eius quod a priori sententia eum non permittebat omnino recedere: putabat enim quod etsi in futura vita fierent retributiones et punitiones pro meritis, ut a Iob didicerat, nihilominus tamen adhuc ei videbatur quod prosperitates et adversitates huius vitae hominibus dispensarentur a Deo pro merito virtutum vel peccatorum, et ideo quasi in parte convictus et in parte adhuc primam sententiam retinens dicit *Idcirco*, scilicet propter verba quae dicis de spe futurae vitae, *cogitationes meae variae succedunt sibi*. Et ut non intelligantur huiusmodi variae cogitationes ad eandem sententiam pertinere, sicut cum aliquis ad eandem conclusionem varias rationes excogitat, subdit *et mens in diversa rapitur*, scilicet violentia rationum quae induci possunt pro utraque sententia nunc ad unum nunc ad aliud ducor, quasi non sufficeret ad contrarias rationes solvendas. Videbatur enim ei quod sententiam Iob de spe futurae vitae repudiare non deberet, et ideo subdit *Doctrinam qua me arguis audiam*, credendo scilicet quod dixisti de resurrectione futura, sed tamen adhuc totaliter primam sententiam non dimitto, et hoc est quod subdit *et spiritus intelligentiae meae respondebit mihi*, quasi dicat: adhuc intellectus meus habet quid pro sententia sua respondeat.

Hoc autem videbatur ei certissimum et experimento probatum quod mali etsi aliqua prosperitate gaudeant, tamen illa sit brevis et cito in hac vita etiam finiatur vel per festinam mortem vel per aliquam subsequentem adversitatem, et hoc est quod subdit *Hoc scio*, considerans scilicet *a principio ex quo est positus homo super terram*, quasi diceret a principio humani generis, *quod laus impiorum brevis sit:* laudantur enim quandoque ad modicum propter aliqua bonitatis signa et initia quae in eis apparent, sed illa statim obnubilantur ex iniquis operibus quae in eis apparent, et ideo gaudium quod habent de favore quem capiunt ex sua simulatione in brevi pertransit, et hoc est quod subdit *et gaudium hypocritae ad instar puncti*, quasi in momento pertransiet, quia postea ex fructibus suis cognoscitur, ut dicitur Matth. VII[16]. Contingit enim quandoque quod ex illo favore quem brevi tempore ex sua simulatione captavit ad aliquem altum statum sublimatus est, unde consequenter ostendit quod nec hoc ei stabile erit, dicens *Si ascenderit usque in caelum superbia eius*, idest si propter altum statum quem adeptus est in tantam ascendat superbiam quod non reputet se caducum quasi terrenum sed immobilem quasi caelestem, *et caput eius nubes tetigerit*, ut scilicet ultra communem statum hominum promoveatur, *quasi sterquilinium in fine perdetur*, vel per festinam mortem ex qua redditur humanum cadaver vile et abominabile quasi stercus, secundum illud Ier. IX[22] «Cadet morticinum hominis quasi stercus super faciem regionis», vel per hoc quod eius malitia detegetur et ab omnibus reputabitur vilis, secundum illud Eccli. IX[10] «Omnis mulier quae est fornicaria quasi stercus in via conculcabitur». Eius autem superbia deiecta, stupor in cordibus hominum orietur de tam subita deiectione, et reverentia quae habebatur ad ipsum cessabit, unde subditur *et qui eum viderant dicent: Ubi est?*, vel mirantes vel contemnentes.

9 didicerat] dixerat F discernat N audierat β(-F²) addiscerat F² 18 ad] *om.* F N V¹ Sv circa γ(-Sv) π 41 et initia *scripsi. cum* V¹] in vitia F N *om. cet.* 48 enim] tamen γ δ π 50 altum] alium F N 52 ascenderit] absconditur N ascendit β ascen. F γ(-Sv) π

[8] Velut somnium avolans non invenietur, transibit sicut visio nocturna. [9] Oculus qui eum viderat non videbit, nec ultra intuebitur eum locus eius. [10] Filii eius atterentur egestate, et manus illius reddent ei dolorem suum. [11] Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiae eius et cum eo in pulvere dormient. [12] Cum enim dulce fuerit in ore eius malum, abscondit illud sub lingua sua. [13] Parcet illi et non relinquit illud et celabit in gutture suo. [14] Panis eius in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus.

Et ut ostendat eius deiectionem irreparabilem esse, subdit *Velut somnium avolans non invenietur:* sicut enim avis faciliter avolando aufertur ab oculis hominum, ita etiam somnia de facili auferuntur a cognitione humana; et quia eorum nullum manet vestigium vel debile, neque ad aliquem testimonium per quod si perdatur possit requiri, ideo irreparabiliter transit eius cognitio: et similiter dat intelligere quod casus impiorum sit irreparabilis. Et huius irreparabilitatis causam ostendit multiplicem: primo quidem ex parte ipsius peccatoris qui perit, unde dicitur *transibit sicut visio nocturna*, quae quidem est visio phantasmatis non permanentis, et ideo postquam desierit ad eam reditus haberi non potest; visio autem diurna est alicuius rei permanentis, quam si aliquis videre desierit ad eam videndam rursus recurrere potest; et similiter quandiu peccator manet, si adversitas ei adveniat potest reparatio sperari, sed quando ipse ex hac vita transierit nulla ulterius reparatio speratur. Secundo autem ex parte aliorum hominum ostendit casum eius irreparabilem, cum subdit *Oculus qui eum viderat non videbit:* ea enim quae ab oculis recedunt de facili etiam a memoria transeunt, unde mortui qui subtrahuntur humanis aspectibus de facili oblivioni traduntur, ut sic nec in memoriis hominum gloriam habeant nec amici eorum amplius auxilium praestare curent. Tertio ostendit causam irreparabilitatis eius, quia non potest redire ad priorem statum, unde subdit *nec ultra intuebitur eum locus eius:* non enim potest redire homo post mortem ad eundem modum vivendi. Et non solum ipse deicietur et in propria persona transiens et oculis hominum subtractus proprio loco numquam restituendus, sed etiam filii pro peccato eius punientur, unde sequitur *Filii eius atterentur egestate*, iusto scilicet Dei iudicio, ut quia pro divitiis filiorum peccavit in hoc etiam spe sua frustretur, filiis eius pauperibus effectis.

Deinde quasi acquiescens iam sententiae Iob, subiungit etiam de poenis futurae vitae dicens *et manus illius reddent ei dolorem suum*, idest pro operibus peccatorum quae fecit dolorem patietur in poenis. Et quod ista retributio doloris sit intelligenda post mortem, apparet per hoc quod subditur *Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiae eius et cum eo in pulvere dormient*, quasi dicat: etiam post mortem quando carnes eius in pulverem resolventur, solis ossibus in sepulcro remanentibus, poenam patietur pro peccatis, non solum quae in senectute sed etiam quae in adolescentia commisit quae est magis praeceps ad peccandum. Et causam quare etiam post mortem puniatur pro peccatis, ostendit subdens *Cum enim dulce fuerit in ore eius malum, abscondit illud sub lingua sua*, et loquitur ad similitudinem hominis dulcem cibum comedentis, qui non cito illum absorbet sed diu tenet in ore ut diutius delectetur. Unde hanc similitudinem exponens subdit *Parcet illi*, scilicet malo vel peccato quod est ei dulce, nolens illud destruere; quod quidem destrueret deserendo, unde sequitur *et non relinquit illud;* quare autem non relinquat, ostendit subdens *et celabit in gutture suo*, idest nulli manifestabit, et propter hoc nullus ei peccatum occultum dissuadebit neque aliquod remedium adhibebit quod adhibetur peccata sua confitentibus: haec est ergo causa quare peccata alicuius puniuntur post mortem quia ea in vita relinquere noluit.

Panis eius in utero illius etc. Quia dixerat quod ossa impii replenda sunt vitiis adolescentiae eius, ut scilicet pro eis puniatur post mortem, nunc de poenis eius prosequitur latius, et primo ostendit quod bona quae in hoc mundo habuit ei vertentur in mala. Et utitur similitudine comedentis cui cibus quandoque in malum convertitur, et hoc duobus modis: uno modo quando cibus indigestus interius manet et convertitur in humores venenosos, et quantum ad hoc dicit *Panis eius in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus*, quasi dicat: sicut quandoque cibus comestus vertitur in humores venenosos, ita et bona quae in hoc mundo habuit

76 ad aliquem] ad aliquod β(-V^1) γ δ^1 aliquod Va π — quet Sv δ(-R) reliqui F^2 re. F derelinquet *Vulg.* 97 eorum *scrips.*] eius *codd.* 131 relinquit] —quitur V^1 134 nullus *scrips. cum* δ] nullum *cet.*

122 magis...peccandum: cf. *Glossa ordin.* super Ps. CXVIII[9] et *Glossa* Petri Lomb. ibid. (PL 191,1050 D). 139 dixerat: vers. 11.

[15] Divitias quas devoravit evomet, et de ventre eius extrahet eas Deus. [16] Caput aspidum surget, et occidet eum lingua viperae. [17] Non videat rivulos fluminis torrentis mellis et butyri. [18] Luet quae fecit omnia, nec tamen consumetur. Iuxta multitudinem adinventionum suarum, sic et sustinebit. [19] Quoniam confringens nudavit domum pauperis, domum rapuit et non aedificavit eam. [20] Nec est satiatus venter eius, et cum habuerit quae concupierat, possidere non poterit.

perseveranter usque ad mortem ei vertentur in amaritudinem mortis. Secundo cibus comestus quandoque si digeri non potest per vomitum extra eicitur cum abominatione et dolore, ita etiam quandoque contingit quod homines peccatores bona temporalia quae in hoc mundo acquirunt, quia eis bene non utuntur, quasi indigesta divino iudicio cum dolore amittunt, unde subdit *Divitias quas devoravit*, idest rapaciter acquisivit, *evomet*, idest cum abominatione perdet, *et de ventre eius*, idest de eius dominio, *extrahet eas Deus*, quia scilicet divino iudicio per quandam violentiam ei auferentur.

Nec solum bona quae habuit ei vertentur in malum, sed etiam ab inimicis mala patietur et facto et verbo, et ideo duo exempla ponit: primum quidem de aspide quae mordendo interficit, unde dicit *Caput aspidum surget*, scilicet contra eum ad eum mordendum, per quod significatur aliquis malefactorum princeps vel etiam diabolus eum invadens; secundum exemplum ponit de vipera quae lingua sua venena diffundit, unde sequitur *et occidet eum lingua viperae*, per quam intelligitur quodcumque nocumentum proveniens ex lingua hominis quasi venenum ex lingua viperae.

Deinde subiungit poenam ex privatione bonorum cum subdit *Non videat rivulos fluminis torrentis mellis et butyri*. Mel autem et butyrum in hoc conveniunt quod utrumque suave est ad edendum, sed mel officio apum ex floribus colligitur, butyrum autem ministerio hominum ex lacte domesticorum animalium sumitur; unde per mel potest significari quodcumque bonum delectabile proveniens absque industria hominum, per butyrum autem designatur aliquod bonum delectans ex studio humano proveniens. Torrens autem subito supervenit et ex insperato; in flumine abundantia designatur propter aquarum multitudinem; in rivulis autem distributio bonorum designatur: non enim omnes omnia habent neque temporalia neque spiritualia bona, sed quidam haec quidam illa. Datur ergo intelligi quod bonis, secundum Sophar sententiam, suavitas bonorum proveniat abundanter et ex insperato, tum ex humano ministerio tum ex providentia divina sine humana industria, secundum tamen quandam ordinatam distributionem, qua quidem distributione privandum asserit peccatorem. Et quia quandoque ex multitudine poenarum homo deficit ut ulteriores poenas sustinere non possit, subiungit quod peccator quamvis in hac vita multipliciter puniatur tamen ulterius reservatur ad poenas futurae vitae, unde sequitur *Luet quae fecit omnia*, idest pro singulis peccatis suis poenam patietur, *nec tamen consumetur*, scilicet secundum animam quae futuris poenis reservatur.

Consequenter ostendit convenientiam poenarum ad culpas cum subdit *Iuxta multitudinem adinventionum suarum*, idest peccatorum quae sollicite excogitavit, *sic et sustinebit*, quia scilicet poena per quandam convenientiam culpae respondebit. Et primo hoc manifestat quantum ad culpam rapacitatis, in qua duo per ordinem ponit, quorum primum est violenta depraedatio quam significat subdens *Quoniam confringens nudavit domum pauperis*, in confractione quidem violentiam significans, in nudatione rapinam; secundo ponit restitutionis negligentiam, et quantum ad hoc subdit *domum rapuit et non aedificavit eam*, quasi dicat: ea quae de domo rapuit vel quae in domo confringendo destruxit recompensare neglexit. Huic autem culpae convenientem poenam subiungit dicens *Nec est satiatus venter eius*, quasi dicat: quia «nudavit domum pauperis» eum de bonis suis satiari non sinens, ideo appetitus eius non est satiatus neque de bonis quae iure possidet neque de his quae iniuste acquisivit, quia, sicut dicitur Eccl. v[9], «avarus non implebitur pecunia, et qui amat divitias fructum non capiet ab eis», et quantum ad hoc secundum subdit *et cum habuerit quae concupierat, possidere non poterit*, quia vel ipse subtrahetur eis vel illa subtrahentur ei; et hoc conveniens est, ut quia ea quae rapuit sponte restituere noluit ea invitus amittat.

Deinde manifestat idem in culpa voracitatis quam

152 vertentur] —tuntur F δ —tantur N F^2 —tatur V^1 159 amittunt] —tuntur N γ —tant Va 165 et *om.* F β F^3 177 fluminis *scrips. cum Vulg.* V^1 Sv (*cf. infra lin.* 187)] fluvii N β(-V^1) δ π flu. F γ(-Sv) 214 nudavit] mundavit V^1 denudavit γ δ(-Pd) π mutavit Pd 219 confringendo] confligendo F N β^1 R consurgendo Sv 227 ab] ex F^2 γ δ

[21] Non remansit de cibo eius, propterea nihil permanebit de bonis eius. [22] Cum satiatus fuerit, artabitur et aestuabit et omnis dolor irruet in eum. [23] Utinam impleatur venter eius, ut emittat in eum iram furoris sui et pluat super illum bellum suum. [24] Fugiet arma ferrea et irruet in arcum aereum: [25] eductus et egrediens de vagina sua, et fulgurans in amaritudinem suam. Vadent et venient super eum horribiles. [26] Omnes tenebrae absconditae sunt in occultis eius. Devorabit eum ignis qui non succenditur, affligetur relictus in tabernaculo suo.

ponit subdens *Non remansit de cibo eius*, quia scilicet quicquid habuit in suos usus convertit, nihil in aliorum necessitatem reservans. Et subiungit convenientem poenam dicens *propterea nihil permanebit de bonis eius*, scilicet ei quia omnia perdet, et hoc est conveniens poena quantum ad hoc quod de bonis suis aliis noluit reservare: unde iustum est ut nihil ei reservetur. Quantum vero ad hoc quod superflua in suos usus consumpsit, subiungit aliam convenientem poenam dicens *Cum satiatus fuerit, artabitur*, et loquitur ad similitudinem hominis qui nimis comedit, cuius viscera artantur ex nimio cibo compressa, per quod significatur quod homo qui superflua in suos usus expendit vel qui superflua sibi acquisivit artationem quandam patietur, non valens omnia acquisita recte disponere, sicut patet Luc. XII[18] de divite cuius ager uberes fructus protulerat, quod voluit horrea sua destruere ut faceret ampliora. Ex artatione autem viscerum sequitur inordinatus calor et anxietas, unde subdit *et aestuabit*, et similiter illi qui multa sibi inordinate congregant nimia sollicitudine affliguntur; demum ex superfluo cibo ad omnia membra solet dolor pervenire, unde subdit *et omnis dolor irruet in eum:* similiter etiam his qui superflua congregaverunt multiplex dolor exoritur dum in pluribus dispendia patiuntur.

Considerans ergo Sophar quod saturitas impii est ei nociva, quasi ex zelo iustitiae optat ei saturitatem bonorum temporalium ut poenam patiatur, unde sequitur *Utinam impleatur venter eius*, scilicet abundantia temporalium bonorum, *ut emittat in eum*, scilicet Deus, *iram furoris sui*, idest vindictam sine misericordia. Et modum irae ostendit subdens *et pluat super illum bellum suum;* et in hoc quod dicit *pluat* designat malorum abundantiam; in hoc quod dicit *super illum*, idest supra vires peccatoris, designat impotentiam resistendi; in hoc autem quod dicit *bellum suum* ostendit quod mala non inferuntur ei ad correctionem per modum disciplinae qua pater castigat filium, sed per modum exterminii quo hostes perduntur; unde subdit *Fugiet arma ferrea*, idest poenas praesentes, impatienter eas sustinendo, quae ad modum gladii ferrei feriunt de propinquo; *et irruet in arcum aereum*, idest in poenas futurae vitae quae quasi feriunt a remotis ad modum arcus aerei, qui est infrangibilis, ut futurarum poenarum interminabilitas designetur. Exponit autem consequenter huius arcus processum dicens *eductus et egrediens de vagina sua*, supple 'erit arcus ille': quandiu enim arcus est in vagina non percutit, et similiter ultio futurae damnationis quandiu est in Dei praescientia quasi in quadam vagina non damnat, sed educitur de hac vagina per malitiam provocantem Deum, et tunc egreditur per dispositionem divinam. Et eius effectum ostendit subdens *et fulgurans in amaritudinem suam:* sicut enim fulgur de supernis et subito et cum violentia et claritate venit, ita illa ultio inferetur peccatori a Deo ex improviso cum tanta violentia quod resisti non poterit, et cum tanta claritate iustitiae quod excusationis locus non erit, et ex hoc peccator replebitur amaritudine.

Deinde poenas ultionis explicat per partes, et primo quantum ad hoc quod sub potestate daemonum tradetur, et quantum ad hoc subdit *Vadent et venient super eum horribiles*, idest liberam potestatem super eum accipient daemones. Deinde ponit poenam damni cum subdit *Omnes tenebrae absconditae sunt in occultis eius*, quia scilicet perfectas tenebras interiores et exteriores patietur, elongatus a claritate Dei; quod quidem in occulto dicit esse quia sicut sanctorum claritas in hac vita nobis occulta est, ita et tenebrositas impiorum. Deinde ponit poenam sensus cum dicit *Devorabit eum*, non quidem consumendo sed sua afflictione absorbendo, *ignis*, scilicet gehennae, *qui non succenditur*, scilicet humano studio sed divina virtute, secundum illud Is. XXX[33] «Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam». In his autem poenis nullum auxilium sibi aderit, unde subdit *affligetur relictus in tabernaculo suo*, idest ex hoc quod relinquetur sine auxilio in loco poenarum sibi deputato.

250 protulerat] —lerit F N —lit β attulit δ^1 251 quod] qui β^1 γ δ^1 π 254 inordinate] immoderate N β(-F^2) γ(-As) (*in posterum* α β *discedit* V^2, *cf. Praef.* § 41 *in fine et* § 42) 276 poenas praesentes] pena presentis F N pena presentis vite V^1 276 eas] ea F N V^1 *om.* γ π 286 praescientia *scripsi. cum* V^2 γ(-Sv) R] presentia *cet.* 298 tradetur] tradentur N γ δ π (*def.* F^2 V^2)

[27] Revelabunt caeli iniquitatem eius, et terra consurget adversus eum. [28] Apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Domini. [29] Haec est pars hominis impii a Deo, et hereditas verborum eius a Domino.

Positis ergo poenis quas in se ipso patietur, subiungit poenas quae pertinent ad ipsum secundum quod post mortem remanet in hac vita, et primo quidem quantum ad hoc quod remanet in memoriis hominum, dicens *Revelabunt caeli iniquitatem eius*, idest caelesti virtute fiet quod iniquitas eius reveletur post mortem quae latebat in vita, *et terra consurget adversus eum*, quia manifestata eius iniquitate, homines terreni etiam contra mortuum turbabuntur qui forte vivum reverebantur. Deinde ponit poenam eius quantum ad hoc quod remanet in filiis, cum dicit *Apertum erit germen domus illius*, idest filii eius expositi erunt tribulationibus; et hoc germen *detrahetur*, scilicet de hac vita, *in die furoris Domini*, idest in die vindictae divinae; quamvis possit et hoc ad finale iudicium referri, in quo sancti revelabunt iniquitatem peccatoris et totus mundus «pugnabit contra insensatos» et germina, idest opera peccati, manifestabuntur et tandem impius detrahetur in infernum.

Deinde epilogando subdit *Haec est pars hominis impii a Deo*, idest quam sibi acquisivit impiis operibus, *et hereditas verborum eius a Domino*, quam scilicet sibi acquisivit pravis verbis. Et considerandum quod inter praemissa praesentibus poenis futuras commiscuit.

339 verbis *scripsi*.] operibus F γ Va π et operibus *add.* N V¹ operibus et *praem.* V² sermonibus δ¹ (*def.* F²)

331 sancti revelabunt...: cf. Thomas *Super IV Sent.* d. 47 q. 1 a. 2 qc. 1. 333 Sap. v²¹. 334 opera peccati: cf. *Glossa interlin.* super Is. v²⁴.

CAPITULUM XXI

[1] Respondens autem Iob dixit: [2] Audite, quaeso, sermones meos et agite paenitentiam; [3] sustinete me ut et ego loquar, et post mea, si videbitur, verba ridete. [4] Numquid contra hominem disputatio mea est ut merito non debeam contristari? [5] Attendite me et obstupescite et superponite digitum ori vestro. [6] Et ego quando recordatus fuero perstupesco, et concutit carnem meam tremor. [7] Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt confortatique divitiis? [8] Semen eorum permanet coram eis,

Respondens autem Iob dixit: Audite, quaeso etc. Quia Sophar in praemissis verbis quantum ad aliquid iam sententiae Iob consenserat ut poneret peccata puniri post mortem, quamvis adhuc in hoc suam sententiam retineret quod etiam in vita ista peccata temporaliter puniuntur, erectus fuit Iob in spem convertendi eos totaliter ad veram sententiam, et ideo primo humiliter inducit eos ad attentionem, cum dicit *Audite, quaeso, sermones meos*. Et quia hactenus cum quadam irrisione eius verba audierant, subdit *et agite paenitentiam*, scilicet de hoc quod verba mea irrisistis vel quod veritati contradixistis; et quia iam omnes bis locuti estis, *sustinete me ut et ego loquar*, respondendo scilicet ad ea quae ultimo proposita sunt. Et ne antequam audirent iudicium condemnationis proferant, subdit *et post mea, si videbitur, verba ridete*, quasi dicat: si iudicatis meam hanc sententiam derisibilem esse, prius tamen meam responsionem audiatis, quae si vobis non satisfaciat postea poteritis iustius irridere. Et ne videantur eius verba despicienda fore, ostendit quod de magnis locuturus est, scilicet de divinis iudiciis non de humanis, unde subdit *Numquid contra hominem disputatio mea est ut merito non debeam contristari?*, quasi dicat: si ad hoc tenderet meae disputationis intentio ut inquirerem an aliquis homo iuste vel iniuste me afflixerit, qualitercumque hoc accidisset, merito tristitia carerem; sed disputatio mea tendit ad inquirendum quomodo hoc iusto Dei iudicio acciderit. Et quia de magna re est ista disputatio, est audienda attente, unde dicit *Attendite me;* est etiam audienda non leviter et cum irrisione sed magis graviter et cum stupore, unde subdit *et obstupescite;* est etiam audienda silenter et sine mussitatione, unde subdit *et superponite digitum ori vestro*. Et ne videatur hoc iactanter dicere quasi ad deferendum honorem suae auctoritati, ostendit se etiam in altitudine huius quaestionis stupere, unde subdit *Et ego quando recordatus fuero perstupesco*, ne scilicet in tanta quaestione in aliquo a veritate deficiam aut irreverenter de divinis iudiciis loquar; timor autem iste non sistit in mente sed pervenit usque ad carnem, unde subdit *et concutit carnem meam tremor:* ex vehementi enim animi passione etiam caro immutatur.

Quibus praemissis sufficientibus ad attentionem excitandam, procedit ad quaestionem; et quia Sophar dixerat quod prosperitates malorum, si quae sunt, brevi finiuntur et in malum eis vertuntur, ideo haec statim Iob improbat dicens *Quare ergo impii vivunt*, scilicet diu? Quasi dicat: si impius sic, velut avis avolans et velut visio nocturna, cito transit, unde est quod multi impii habent vitae diuturnitatem? Item si «gaudium hypocritae est ad instar puncti» et eius ascensus cito deicitur, quare *sublevati sunt*, idest in honoribus promoti? Item si «divitias quas devoravit evomit», quare sunt *confortati divitiis*, idest quare eorum divitiae sunt eis confirmatae? Contra hoc etiam quod dixerat «Filii eius atterentur egestate», <dicit> *Semen eorum permanet coram eis*, idest filii, eis videntibus, perseverant; et idem subiungit de aliis personis coniunctis dicens

18 meam] *post* hanc β^1 V^2 δ(-Pd) *post* sententiam γ Pd π 20 satisfaciat] —faciam π sufficiat β^1 V^2 30 hoc] de *add.* F^2 γ δ^1 π de *praem.* V^1 40 perstupesco] pertimesco *cum Vulg.* V^2 δ stupesco γ pertimesco stupesco π 42 loquar] loquamur F N V^1 V^2 46 ad *om.* F N V^1 52 sic *scripsi. cum* F] sit β^1 V^2 *om. cet.* 57 sunt] *post* confortati F γ *om.* π confortati] —tique *cum Vulg.* V^2 Va π suis *add.* N in *add.* Pd confor. F 60 <dicit> *suppl. cum* γ δ π] addit V^2 *om. cet.* 61 filii] filiis β^1 Sv Va eis[2]] eius pN β^1 γ(-As) R perseverant] —rent F N β^1

13 bis locuti: Eliphaz cap. IV-V et XV, Baldath cap. VIII et XVIII, Sophar cap. XI et XX. 48 dixerat : cap. XX^5. 52 velut avis...: cf. supra cap. XX^8. 54 Cap. XX^5. 57 Cap. XX^{15}. 59 Cap. XX^{10}.

propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum. [9] Domus eorum securae sunt et pacatae, et non est virga Dei super illos. [10] Bos eorum concepit et non abortivit, vacca peperit et non est privata fetu suo. [11] Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, et infantes eorum exultant lusibus. [12] Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi. [13] Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. [14] Qui dixerunt Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus; [15] quis est Omnipotens ut serviamus ei, et quid nobis prodest si adoraverimus eum?

propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum; per quod duplicem prosperitatem designat, quia nec eorum propinqui subtrahuntur per mortem, quod significat in hoc quod dicit *permanet*, nec elongantur per exilium vel aliquid huiusmodi, quod designat per hoc quod dicit *coram eis* et *in conspectu eorum*.

Deinde prosequitur per partes praemissam prosperitatem impiorum, primo quidem quantum ad ipsos, praemittens immunitatem a malo cum dicit *Domus eorum*, idest familiae eorum cum necessariis rebus, *securae sunt*, scilicet ab insultu hostium, *et pacatae*, idest carentes interna dissensione; et etiam immunes sunt a divino flagello, et quantum ad hoc subdit *et non est virga Dei super illos*, quia scilicet pro peccatis suis non corriguntur in hac vita. Et subiungit de multiplicatione bonorum, quia scilicet bona eorum non sunt sterilia nec fructu suo privantur; et hoc manifestat in specie boum qui apud antiquos acceptissimi erant propter agriculturam, unde dicit *Bos eorum*, idest vacca, *concepit*, per quod tollitur sterilitas. Est autem conceptio primum in fructificatione animalium; secundum est formatio fetus concepti in ventre et perductio ad perfectum, quod impeditur per aborsum, et quantum ad hoc dicit *et non abortivit;* tertium autem est partus, et quantum ad hoc dicit *vacca peperit*, idem significans nomine bovis et vaccae, et utitur utroque vel propter ornatum sermonis vel propter necessitatem metri; quartum autem est educatio prolis, et quantum ad hoc subdit *et non est privata fetu suo*, morte scilicet praeoccupante.

Consequenter autem subdit de prosperitate quantum ad filios, circa quod primo ponit prolis multitudinem cum dicit *Egrediuntur*, scilicet in plateis ambulantes, non praeventi morte, *quasi greges parvuli eorum*, scilicet in multitudine et mutua concordia; secundo ponit eorum incolumitatem cum subdit *et infantes eorum exultant lusibus*, quasi non gemunt infirmitatibus; tertio ponit eorum disciplinam qua apud antiquos liberi instruebantur in musicis, unde dicit *Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi*, quasi instructi ad hoc quod et ipsi convenienter musica utantur et alios audiendo prudenter iudicent.

Sed ne aliquis dicat quod haec eorum prosperitas modicum durat «ad instar puncti», contra hoc subdit *Ducunt in bonis dies suos*, quasi dicat: omnes dies vitae suae in prosperitate peragunt. Necesse est autem ex communi condicione quod finaliter sentiant mortem, sed tamen hanc patiuntur absque praecedenti angustia, unde subdit *et in puncto ad inferna descendunt*, idest in mortem: omnes enim antiqui ante Redemptoris adventum, de quo supra locutus fuerat, ad inferna descendebant; sed quidam adversitatibus pressi in vita, non subito sed per multas amaritudines ad inferna descendebant, sicut Iacob dixit Gen. XXXVII[35] «Descendam ad filium meum lugens in infernum»; sed illi qui prosperitate vigent usque ad mortem quasi in puncto usque ad inferna descendunt.

Posset autem responderi quod impii inter multa mala quae faciunt, meruerunt a Deo prosperitatem terrenam vel eum amando vel cognoscendo vel ei qualibuscumque operibus serviendo vel saltem bona temporalia ab ipso petendo, sed hoc excludit subdens *Qui dixerunt Deo*, scilicet ex corde proposito quasi ex certa malitia peccantes: *Recede a nobis*, quod pertinet ad defectum amoris, *scientiam viarum tuarum nolumus*, quod pertinet ad defectum cognitionis per ignorantiam affectatam: viae autem Dei dicuntur praecepta et iudicia eius quibus ab ipso disponimur; *quis est Omnipotens ut serviamus ei?*, quod <pertinet> ad defectum bonorum operum provenientem ex Dei contemptu, *et quid nobis prodest si adoraverimus eum?*, quod pertinet ad contemptum petitionis propter defectum spei.

Sic ergo evidentissime confutavit eorum sententiam, ostendens quod prosperitas temporalis non semper est praemium virtutis nec adversitas tem-

122 usque[2] *om.* γ δ π 129 ex] in δ π corde] cordis γ δ π toto F^2 et *add.* V^2 136 <pertinet> *suppl. cum* F^2 V^2 δ π] *om.* F N *post* contemptu V^1 *post* operum γ

82 propter agriculturam: cf. Barthol. Anglic. *XVIII De propriet. rerum* cap. 12. 109 Cap. XX[5]. 116 supra: cap. XIX[25]. 117 ad inferna: cf. supra cap. 7 182 nota. 134 praecepta: *Glossa interlin.* super Gen. XVIII[19]; iudicia: *Glossa interlin.* super Iob XXXVI[23].

[16] Verum tamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium eorum longe sit a me. [17] Quotiens lucerna impiorum extinguitur et supervenit eis inundatio et dividit dolores furoris sui, [18] erunt sicut paleae ante faciem venti et sicut favilla quam turbo dispergit. [19] Deus servabit filiis illius dolorem patris, et cum reddiderit, tunc sciet: [20] videbunt oculi eius interfectionem suam, et de furore Omnipotentis bibet. [21] Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se, aut si numerus mensium eius dimidietur? [22] Numquid Deum docebit quispiam scientiam, qui excelsos iudicat?

poralis est poena peccati, quia impii frequenter prosperantur in hac vita nihil boni merentes a Deo, et cum hoc nullas graves adversitates patiuntur. Posset autem aliquis obicere: si malis prospera eveniunt et adversitatibus carent, ergo nulla est ratio a malitia declinandi, unde Eccl. IX[3] dicitur «Eadem cunctis eveniunt, unde et corda filiorum hominum implentur malitia»; sed huic obiectioni respondet dicens *Verum tamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium eorum longe sit a me.* Circa quod sciendum est quod in manu hominis, idest in potestate ipsius, sunt quaedam bona, scilicet voluntaria virtutum opera quorum est dominus per liberum arbitrium gratia Dei iuvatum, et ideo huiusmodi bona semper possunt retinere virtuosi quandiu volunt, et propter hoc consilium sectandi huiusmodi bona est acceptandum; sed bona temporalis prosperitatis non sunt in potestate habentium ut possint ea acquirere vel retinere cum volunt, et ideo abiciendum est eorum consilium quo Deum et iustitiam contemnunt ut prospere vivant, quia per hoc non possunt assequi quod intendunt sed quandoque adversitatibus premuntur.

Est autem considerandum ulterius quod adversitas impii gravior est quam iusti, quia cum iustus adversitatem patitur temporalem remanet ei fulcimentum virtutis et consolatio in Deo, unde non totaliter dissipatur; sed malis, amissis temporalibus bonis quae sola sibi quaesierunt, nullum remanet fulcimentum: unde subditur *Quotiens lucerna*, idest prosperitas, *impiorum extinguitur*, idest finitur, *et supervenit eis*, scilicet divino iudicio, *inundatio*, idest gravis tempestas adversitatis, *et* quotiens Deus *dividit*, idest sub certa mensura distribuit, *dolores*, idest afflictiones aliquas, *furoris sui*, idest ex eius furore provenientes, *erunt*, impii scilicet, *sicut paleae ante faciem venti*, quae scilicet propter levitatem resistere non possunt vento, *et sicut favilla*, quae scilicet remanet ligno combusto, *quam turbo dispergit*, quia scilicet non habet humorem ut simul se teneat: ita etiam impii, veniente adversitate, resistere non possunt quia carent fulcimento divinae spei, et per diversas cogitationes disperguntur carentes humore virtutis.

Et post hoc subdit de adversitate quantum ad filios cum dicit *Deus servabit filiis illius dolorem patris*, quia scilicet poena patris pertingit usque ad filios imitatores paternae malitiae. Nec differetur hoc usque post mortem patris sed vivente et cognoscente patre hoc erit, unde subdit *et cum reddiderit*, scilicet Deus poenam filiis, *tunc sciet*, scilicet pater, unde subdit *videbunt oculi eius interfectionem suam*, idest filiorum suorum, vel quamcumque adversitatem, et in hoc ipso *de furore Omnipotentis bibet*, quia hoc ipsum pertinet ad poenam patris quod filii eo vivente puniuntur, non autem si punirentur post eius mortem, unde subdit *Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se?*, idest non affligeretur a futuris infortuniis posterorum, maxime cum peccator post mortem hoc ignoret, sicut supra XIV[21] dictum est «Sive nobiles fuerint filii eius sive ignobiles, non intelliget»; *aut* etiam quid pertinet ad eum *si numerus mensium eius dimidietur?:* non potest de hoc dolere in vita quia hoc ignorabat futurum.

Numquid Deum docebit quispiam etc. Quia supra Iob proposuerat quod impiis in hac vita quandoque prospera quandoque adversa adveniunt, quod facit apud homines dubitationem, ideo ad huius dubitationis solutionem accedens praemittit quod hoc non provenit ex defectu divinae scientiae, quasi eum lateat malitia illorum quibus prospere cedit, et ideo dicit *Numquid Deum docebit quispiam scientiam?*, quasi dicat: non indiget ut ab aliquo instruatur de meritis hominum ut sciat quibus prospera et quibus reddat adversa. Quod autem subdit *qui excelsos iudicat* potest dupliciter adiungi: uno modo ut sit sensus quod Deus non indiget instructione alicuius ad hoc quod possit excelsos iudicare, idest eos qui prosperantur in hoc mundo, sicut in rebus

167 cum] tamen N β^1 V^2 170 dissipatur *scripsi. cum* γ(-As) Va] —pantur *cet.* malis *scripsi. cum* V^1 F^2 π] mali *cet.*
195 quamcumque] quacumque N β^1 δ adversitatem *scripsi. cum* γ π] —tate *cet.* 213 illorum] eorum N γ(-Sv) δ π
218 excelsos (*cf. Praef.* § 66)] —so N V^1 V^2 in excelso γ π excl'id' F^2 exce. F 220 excelsos] —so F N V^1 V^2 γ

[23] Iste moritur robustus et sanus, dives et felix: [24] viscera eius plena sunt adipe, et medullis ossa illius irrigantur. [25] Alius vero moritur in amaritudine animae suae, absque ullis opibus. [26] Et tamen simul in pulvere dormient, et vermes operient eos. [27] Certe novi cogitationes vestras et sententias contra me iniquas. [28] Dicitis enim: Ubi est domus principis? Et ubi tabernacula impiorum? [29] Interrogate quemlibet de viatoribus, et haec eadem illum intelligere cognoscetis,

humanis indigent iudices instrui per testes de meritis iudicandorum; alio modo potest intelligi ut inducatur quasi probatio praecedentis: quod enim Deus omnia sciat et quod ab aliis instrui non indigeat patet per hoc quod ipse habet iudicium super quantumcumque excelsos; nullus autem iudicat quae ignorat: unde non potest esse quod alicuius quantumcumque excelsa scientia lateat ipsum.

Praemissa igitur sufficientia divinae scientiae, subdit dubitationis materiam quae potest accidere super diversa humanarum rerum dispositione, in qua quidam prosperantur usque ad mortem, quidam vero in miseria moriuntur. Consistit autem temporalis prosperitas primo quidem in potestate, et quantum ad hoc dicit *Iste moritur robustus*, secundo in corporis sanitate, et quantum ad hoc subdit *et sanus*, tertio in exteriorum rerum opulentia, et quantum ad hoc subdit *dives*, quarto in consiliorum et operum prospero successu, et quantum ad hoc subdit *et felix:* dicitur enim felix apud quosdam cui omnia succedunt ad votum. Ut autem non solum divitias sufficientes sed etiam superabundantes significet, subdit *viscera eius plena sunt adipe:* adeps enim propter superabundantiam nutrimenti generatur. Et ut rursus ostendat eius potentiam multiplicibus auxiliis suffultam, subdit *et medullis ossa illius irrigantur:* per ossa enim fortitudo designatur quorum robur nutrimento medullarum sustentatur. Subiungit autem de aliorum adversitate dicens *Alius vero moritur in amaritudine animae suae*, quod scilicet pertinet ad interiores dolores quos homines concipiunt vel de corporalibus nocumentis vel ex infortunatis eventibus; addit autem *absque ullis opibus* ad designandum exteriorum rerum defectum. Sed tamen cum sic diversificentur in vita cum aequalitate meritorum, non potest dici quod saltem in his quae sunt post mortem diversa ad corpus pertinentia eorum sors commutetur: aequaliter enim eorum corpora disponuntur post mortem, unde subdit *Et tamen simul in pulvere dormient*, idest aequaliter in terra sepelientur, *et vermes operient eos*, idest aequaliter eorum corpora putrescent: unde patet quod non potest assignari ratio differentiae quae est inter homines secundum prosperitatem et adversitatem, in his quae sunt aequalis meriti vel demeriti, ex diversa corporum dispositione post mortem.

Erat autem opinio amicorum Iob quod ratio praedictae diversitatis esset ex diversitate meritorum, quod est contra id quod experimento apparet de hoc quod impiorum quidam prosperantur, quidam adversa patiuntur; unde quasi iam improbatam eorum opinionem vituperando commemorat cum subdit *Certe novi cogitationes vestras*, quibus scilicet Iob temerarie condemnabant, *et sententias*, scilicet exterioribus verbis prolatas, *contra me iniquas*, quia scilicet iniquae impietatis me arguitis ex adversis quae patior; unde subdit *Dicitis enim: Ubi est domus principis? Et ubi tabernacula impiorum?*, quasi dicerent: tu simul cum familia tua ex altitudine tanti principatus cecidisti sicut solent deficere tabernacula impiorum.

Sic igitur per ea quae supra dixerat ostensa iniquitate sententiae ipsorum, accedit ad determinandum veritatem. Et praemittit hoc quod dicturus est non esse novum sed apud multos divulgatum, subdit enim *Interrogate quemlibet de viatoribus*, quasi dicat: non oportet me cum magno studio testimonium quaerere, quia haberi poterit a quibuscumque transeuntibus per viam; vel viatores dicit eos qui hac vita utuntur non ut termino sed ut via; *et haec eadem illum intelligere cognoscetis*, quae scilicet dicturus sum vobis: unde inexcusabiles estis qui a veritate receditis quam omnes communiter tenent. Quam quidem veritatem exponit subdens *quia in diem perditionis servatur malus*, quasi dicat: quod in hac vita non punitur sed prosperatur, hoc

229 excelsa] —si γ δ π excell'a N 249 sustentatur] —tantur F V^2 253 infortunatis] fortuitis F^2 R infortuitis γ(-Sv) Pd π infortuniis Sv infortunatibus Va 254 opibus] operibus N V^1 γ(-Sv) δ π eventibus *praem.* Sv

Audi igitur, Iob, eloquia mea etc. Dictum est supra quod Eliud indignatus fuit contra Iob et contra amicos eius; postquam locutus fuerat contra ignaviam amicorum Iob, nunc contra ipsum Iob incipit loqui, et ideo primo eum ad attentionem excitat dicens *Audi igitur, Iob, eloquia mea*, quia scilicet ego iam respondere intendo; et ut significet singula verba se cum pondere dicturum, subdit *et omnes sermones meos ausculta*, quasi nihil sit in vanum dicturus. Et ne Iob quaereret quare prius locutus non fuerit, subdit *Ecce aperui os meum*, quasi dicat: prius dum tacui os meum clauseram propter reverentiam seniorum, nunc quia ipsi deficiunt necessitas cogit me loqui, unde subdit *loquatur lingua mea in faucibus meis*, quasi dicat: non sequar verba aliorum, sed proprios conceptus enuntiabo. Et quia Iob in praecedentibus contra amicos suos dixerat quod eum verbis affligebant et confundebant, ideo hoc a se excludit subdens *Simplici corde meo sermones mei*, scilicet sunt, quasi dicat: non loquor ad calumniandum vel ad ridendum sed simplici animo ad veritatem manifestandam. Et quia tribus praedictis viris Iob imposuerat quod essent « fabricatores mendacii et cultores perversorum dogmatum », hoc a se excludit dicens *et sententiam labia mea puram loquentur*, idest absque admixtione alicuius falsitatis vel erroris. Unde autem fiduciam veritatis manifestandae acceperit, ostendit subdens *Spiritus Dei fecit me*, et ideo non est mirum si suam facturam movet et perficit, et hoc est quod subdit *et spiraculum Omnipotentis vivificavit me*, scilicet ad opera vitae movit et perfecit inter quae praecipuum est intelligentia veritatis. Et ne videatur hoc induxisse quasi praeiudicium, afferre intendens Iob ne contra divinitus loquentem responderet, subdit *Si potes, responde mihi*, quantum scilicet ad ea quae contra te dicam, *et adversus faciem meam consiste*, ut scilicet tu etiam contra me obicias si quid dixero quod tibi non placet. Et ne Iob dedignaretur cum eo disputare propter suam famosam sapientiam et illius iuventutem, ad hoc excludendum subdit *Ecce et me sicut et te fecit Deus*, et ita ex parte factoris uterque nostrum eandem spem veritatis inquirendae potest habere; ex parte vero materiae utrique adiacet idem impedimentum, unde subdit *et de eodem luto ego quoque formatus sum*, ex cuius scilicet grossitie lumen intelligentiae obtenebratur. Videbat autem Eliud sibi posse responderi hoc ad miraculum pertinere si iuveni tanta sapientia et facundia praeberetur ut contra sapientissimum senem sufficeret disputare, et ideo quasi innuens hoc miraculose se esse assecutum, subdit *Verum tamen miraculum meum non te terreat*, ut scilicet respondere non audeas miraculose scientiam adepto, *et eloquentia mea non sit tibi gravis*, ut scilicet ex ea obstupescas.

His igitur praemissis quasi prooemialiter, subiungit ea in quibus Iob reprehendere intendit, unde subdit *Dixisti ergo in auribus meis*, quasi dicat: excusare te non potes quin dixeris, *et vocem verborum audivi*, scilicet per sollicitudinem attentionis. Primo autem in verbis Iob notaverat quod se immunem esse dixerat a peccato, unde dicit *Mundus sum ego*, scilicet ab immunditiis carnis, *et absque delicto*, scilicet peccato omissionis, *immaculatus*, scilicet

4 contra] supra F N β^1 9 sit] fuit V^1 sim γ π *om.* δ 20 loquor] —ar β^1 V^2 F^2 Va 32 movit] movet N V^1 γ 32 perfecit] —ficit N β^1 γ Va 44 vero] *om.* F δ(-Pd) autem Pd π

2 supra: cap. XXXII[6-9]. 17 dixerat: cap. XIX[2]. 23 Cap. XIII[4]. 62 dixerat: e.g. cap. XIII[18] et XVI[18]. 64 peccato omissionis: cf. supra cap. 13 349 nota.

[10] Quia querelas in me reperit ideo arbitratus est me inimicum sibi. [11] Posuit in nervo pedes meos, custodivit omnes semitas meas. [12] Hoc est ergo in quo non es iustificatus. Respondebo tibi quod maior sit Deus homine. [13] Adversus eum contendis quod non ad omnia verba responderit tibi. [14] Semel loquitur Deus et secundo id ipsum non repetit, [15] per somnium in visione nocturna.

gravibus peccatis quae sunt contra Deum, puta idolatria vel aliquid huiusmodi, *et non est iniquitas in me*, ut scilicet iniuste proximos laeserim. Secundo notat in verbis eius quod Deo iniquitatem iudicii imposuerit. Iniquitas autem iudicii solet ex odio iudicantis procedere, et quantum ad hoc commemorat Iob dixisse *Quia querelas in me reperit ideo arbitratus est me inimicum sibi*. Supra quidem XIII[24] Iob dixerat interrogative «Cur faciem tuam abscondis et arbitraris me inimicum tuum?», hoc autem quod dicitur *querelas in me reperit* non invenitur dixisse, unde haec est additio Eliud prave interpretantis verba Iob. Iudicis enim odium iustum esse videtur si, certificatus de malitia alicuius, odio eum habeat ad puniendum; sed si ex levibus querelis iudex provocetur ad odium alicuius, erit odium iniustum; et taliter interpretabatur quod Iob dixerat se a Deo inimicum reputatum esse. Secundo ad iniquitatem iudicis pertinere videtur si alicui facultatem iustae defensionis auferat, et quantum ad hoc subdit *Posuit in nervo pedes meos*, idest compedivit quasi impediendo me a meis operibus. Tertio pertinet ad iniquitatem iudicii ut quaelibet levia ad condemnationem congreget alicuius, et quantum ad hoc subdit *custodivit omnes semitas meas*, quasi in singulis operibus eum observans. Haec autem Iob non dixerat ad ostendendum <iniquitatem> divini iudicii, sed quasi figuraliter loquens ut supra XVI expositum est, unde et ibi praemittitur «Aenigmata percipite auribus vestris». Et quia hoc secundum excludit primum, subdit *Hoc est ergo in quo non es iustificatus*, quasi dicat: non potes te iustum dicere, quia hoc ipsum ad iniustitiam tuam pertinet quod Deo iniustitiam imponis.

Respondebo tibi quod maior sit Deus homine. Proposuerat supra Eliud ea de quibus contra Iob disputare intendebat. Verum quia Iob, antequam praemissa verba diceret, praemiserat supra XIII[3] «Disputare cum Deo cupio», videtur autem inconveniens eum qui anhelat ad disputandum cum superiori revocare ad hoc quod cum inferiori disputet, antequam super praemissis cum Iob disputationem Eliud incipiat, de hoc ipso eum redarguit quod cum Deo disputare cupiebat. Et primo quidem quia hoc ipsum magnae praesumptionis videtur quod aliquis maiorem se provocet ad disputandum; unde dicit *Respondebo tibi*, idest tuo desiderio quo disputare cum Deo cupis, *quod maior sit Deus homine*, unde praesumptuosum est quod homo cupiat disputare cum Deo. Et in hoc quidem iuste Iob argueret si cum Deo disputare voluisset ad contradicendum quasi de pari; Iob autem cum Deo disputare volebat quasi ad addiscendum sicut discipulus cum magistro, unde supra XXIII[4] dixit «Os meum replebo increpationibus ut sciam verba quae mihi respondeat»; quod tamen Eliud interpretabatur quasi hoc Iob contentiose contra Deum dixerit, conquerendo quod ei non responderet, unde subdit *Adversus eum contendis quod non ad omnia verba responderit tibi;* quod quidem ex praedictis verbis Iob colligere voluit, et ex hoc quod etiam supra XIX[7] dixerat «Ecce clamabo vim patiens et nemo exaudiet, vociferabor et non est qui iudicet»; quae quidem verba et si qua similia superius dicta sunt, non per modum contentionis dicebantur, sed quia desiderabat rationes divinae sapientiae cognoscere.

Ad repellendum autem praedicta verba Iob quae interpretabatur Eliud ac si contentiose dicta, ostendit consequenter Eliud non esse necessarium quod Deus homini ad singula verba respondeat, sed unicuique sufficienter loquitur ad eius instructionem, unde subdit *Semel loquitur Deus*, scilicet homini sufficienter ad eius instructionem; unde deinceps non oportet quod ad singulas hominis interrogationes respondeat, unde subdit *et secundo id ipsum non repetit*, quia quod sufficienter factum est iterare superfluum esset; quomodo autem loquatur Deus homini ostendit subdens *per somnium in visione nocturna*. Potest autem et alius esse sensus ut per hoc quod dixit *Semel loquitur Deus*, scilicet homini, referatur ad mentis instructionem quae est per lumen rationis

91 <iniquitatem> *suppl. cum* F[2] sR] perversitatem *post* iudicii γ sPd π *om. cet.* 95 es *scripsi. cum* β[1] π] est *cet.* 129 desiderabat] —derat F N β[1] V[2]

92 supra XVI: rectius XIII[27]. 93 Cap. XIII[17]. 100 supra: vers. 9-11. 101 praemissa: cf. supra lin. 62, 73 et 93. 107 incipiat: infra cap. XXXIV.

Quando irruit sopor super homines et dormiunt in lectulo, [16] tunc aperit aures virorum et erudiens eos instruit disciplinam, [17] ut avertat hominem ab his quae fecit et liberet eum de superbia. [18] Eruens animam eius de corruptione et vitam illius ut non transeat in gladium. [19] Increpat quoque per dolorem in lectulo, et omnia ossa eius marcescere facit. [20] Abominabilis ei fit in vita sua panis et animae illius cibus ante desiderabilis.

naturalis, secundum illud Psalmi «Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?», et quasi respondens subdit «Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine», per quod scilicet discernere possumus bonum a malo; et quia naturalis ratio immobiliter in homine manet ut non sit necesse eam iterare, ideo subdit *et secundo id ipsum non repetit;* et deinde ostendit alium modum quo Deus homini loquitur per imaginariam visionem in apparitionibus somniorum, unde subdit *per somnium in visione nocturna:* quod quidem potest referri ad propheticam revelationem, secundum illud Num. XII[6] «Si quis fuerit inter vos propheta Domini, per somnium aut in visione loquar ad eum», vel potest referri etiam ad communia somnia quae credebat Eliud divinitus procurari.

Modum autem et ordinem somniorum consequenter exponit, primo quidem tangens naturalem causam cum dicit *Quando irruit sopor super homines,* quod quidem fit immobilitatis exterioribus sensibus per vapores ascendentes ad principium sentiendi. Secundo ponit dispositionem ex parte voluntatis humanae cum subdit *et dormiunt in lectulo,* quia scilicet homines maxime ordinata et significativa somnia vident quando quiete dormiunt: unde infirmis propter inquietudinem apparent distorta somnia, unde signanter dicitur Dan. II[28] «Somnium tuum et visiones capitis tui in cubili tuo huiuscemodi sunt: tu rex coepisti cogitare in stratu tuo» etc. Tertio ponit operationem divinam circa dormientem, quae quidem attenditur primo quantum ad hoc quod, immobilitatis exterioribus sensibus per soporem et homine in lectulo quiescente, datur divinitus homini facultas quaedam percipiendi divinam instructionem eo quod eius anima circa exteriora non occupatur, unde subdit *tunc aperit aures virorum;* et satis convenienter vim perceptivam divinae instructionis in somniis vocat aures, quia de huiusmodi instructione loquitur sicut de locutione quadam, eo quod non fit per inspectionem ipsarum rerum sed per signa quaedam sicut et locutio. Data autem facultate audiendi consequens est ut doceat, unde subdit *et erudiens eos instruit disciplinam;* et sumitur hic disciplina pro instructione eorum quae homini occurrunt agenda vel vitanda, non pro cognitione scientiarum speculativarum quae non consueverunt in somnio revelari, unde subdit *ut avertat <hominem> ab his quae fecit:* frequenter enim homo in somniis corripitur de peccatis commissis; et quia principium peccatorum est superbia qua Dei praecepta contemnuntur, subdit *et liberet eum de superbia.* Per hoc autem quod homo liberatur a culpa consequens est ut evadat poenam, quod quidem consequenter ostendit quantum ad duplicem poenam: primo quidem quantum ad spiritualem poenam animae, unde subdit *Eruens animam eius de corruptione,* quae scilicet est per deordinationem potentiarum animae; secundo vero quantum ad poenam corporalem, unde subdit *et vitam illius,* scilicet corporalem, *ut non transeat in gladium,* puniendus scilicet pro suo peccato; vel potest utrumque referri ad mortem corporalem, quae quandoque accidit per interiorem corruptionem, sicut cum aliquis ex aegritudine moritur quam Deus immittit pro peccato, quandoque vero accidit ex violentia gladii.

Deinde subiungit alium modum divinae locutionis, quod scilicet corrigit hominem per aegritudinem corporalem, in qua primo notat dolorem sensibilem, unde dicit *Increpat quoque,* scilicet hominem de peccatis praeteritis, *per dolorem,* scilicet corporalem ex aegritudine provenientem, unde subdit *in lectulo,* secundum illud Psalmi «Super lectulum doloris eius». Secundo tangit debilitatem infirmorum cum dicit *et omnia ossa eius marcescere facit,* idest fortitudinem eius adnihilat quae in ossibus consistit. Tertio ponit amissionem appetitus cum subdit *Abominabilis ei fit in vita sua,* idest dum adhuc vivit, scilicet propter infirmitatem, *panis,* qui scilicet est cibus communis, *et animae illius cibus ante desiderabilis,* quod refertur ad alios cibos qui diversimode a di-

157 XII *scrips. cum ipso Thoma (cf. supra cap.* 4 240) *ei* δ^1 π] xxiii N *om.* F[2] xiii *cet.* 168 dormiunt] dormiit N dormit β^1 γ(-Sv) 173 visiones] visitationes N V^2 cogitationes γ 177 immobilitatis *Cf.* Du Cange *s. v.* immobilitari 183 in somniis] in sompnis F N γ Va *om.* δ^1 π 193 <hominem> *suppl. cum Vulg.* Sv sVa δ^1 π] *om. cet.* 194 somniis] sompnis F N V^1 V^2 Va π 217 lectulum] lectum F V^1 γ(-Sv) lectulo Sv δ^1 (*def.* π) 222 scilicet *om.* F δ(-R) π

146 Ps. IV[6,7]. 166 per vapores...: cf. Arist. *De somno* cap. 3 (456 b 17) ut refert Thomas *I Pars* q. 84 a. 8 ad 2. 173 distorta somnia: cf. supra cap. 4 313 nota. 195 superbia: cf. Eccli. X[15]. 217 Ps. XL[4].

[21] Tabescet caro illius, et ossa quae tecta fuerant nudabuntur. [22] Appropinquabit corruptioni anima eius, et vita illius mortiferis. [23] Si fuerit pro eo angelus loquens, unus de millibus, ut enuntiet hominis aequitatem, [24] miserebitur eius et dicet: Libera eum ut non descendat in corruptionem, inveni in quo ei propitier. [25] Consumpta est caro eius a suppliciis, revertatur ad dies adolescentiae suae. [26] Deprecabitur Deum, et placabilis erit ei, et videbit faciem eius in iubilo, et reddet homini iustitiam suam.

versis desiderantur. Quarto ponit maciem cum subdit *Tabescet caro illius*, idest deficiet, *et* sic per consequens *ossa quae tecta fuerant*, scilicet carne, *nudabuntur*, idest manifestabuntur sola cute contecta. Quinto ponit mortis periculum et timorem, unde subdit *Appropinquabit corruptioni anima eius*, idest vita ipsius quae est per animam, unde subdit *et vita illius mortiferis*, idest causis inducentibus mortem.

Notandum est autem quod haec proposuit ad respondendum conquestioni Iob quod Deus non ad singula ei respondeat; voluit enim per praedicta probare quod tripliciter ei Deus sit locutus: primo quidem per naturalem rationem sicut ad omnes homines, secundo arguendo per somnia, dixerat enim supra « Terrebis me per somnia et per visiones horrore concuties », tertio per infirmitatem, dixerat enim supra XXX[16] « Nunc in memet ipso marcescit anima mea » etc. Item considerandum est quod Eliud, sicut et tres alii, credebat infirmitates pro peccato homini advenire, non tamen principaliter ad puniendum, sicut sonabant verba illorum trium, sed magis ad redarguendum.

Et quia Iob non solum videbatur conquestus fuisse quod Deus ei non loqueretur, sed etiam quod ipse accedere non posset ad colloquendum Deo et ad ponendum iudicium suum coram ipso, ut patet supra XXIII[3], ideo huic questioni satisfacit: quia etsi homini non pateat manifeste accessus ad Deum, sunt tamen angeli medii inter Deum et homines, qui iustitiam hominis Deo proponunt non quasi eum instruentes sed sicut suis desideriis homines adiuvantes, et sic nihil deperit homini quod ipse per se ipsum usque ad solium Dei non potest accedere ut ei iustitiam suae causae proponat. Unde ad hoc ostendendum subdit *Si fuerit pro eo*, idest pro homine afflicto, *angelus loquens*, idest intercedens; et ne timeretur quod unus angelus non sufficeret ad interpellandum pro omnibus, subdit *unus de millibus*, secundum illud quod supra XXV[3] dictum est « Numquid est numerus militum eius? »; *ut enuntiet hominis aequitatem*, idest coram Deo proponat si quid est ex parte hominis iustum; *miserebitur*, scilicet Deus, *eius*, scilicet hominis afflicti, *et dicet*, idest angelo imperabit: *Libera eum*, ut scilicet sicut ipse est allegator iustitiae hominis apud Deum ita etiam ipse sit executor divinae misericordiae apud homines. Et a quo liberandus sit subdit *ut non descendat in corruptionem*, idest in mortem; et ut hanc liberationem Deo esse gratam ostendat, subdit ex persona Dei dictum *inveni in quo ei propitier*, idest apparet in homine aliquid aequitatis ex quo ei misereri possum, quod quaerebam. Et quia Iob supra VII[5], quasi reparari non posset, dixerat « Induta est caro mea putredine », ad hoc excludendum subdit *Consumpta est caro eius a suppliciis*, quasi dicat: hoc meae potestati non praeiudicat, unde subdit *revertatur ad dies adolescentiae suae*, idest recuperet vigorem sicut in adolescentia.

Sic igitur positis Dei verbis liberantis, Eliud utens suis verbis describit modum liberationis humanae dicens *Deprecabitur Deum*, quasi dicat: non sufficit quod angelus pro eo loquatur, sed ad hoc quod liberetur oportet quod ipse etiam pro se oret; vel aliter potest continuari: quia enim supra ostenderat quod homo non potest conqueri de hoc quod iudicium suum coram Deo ponere non possit, quia angelus pro eo efficaciter proponit, nunc ostendit quod etiam ipse pro se proponere potest orando. Ut ostendat hoc etiam esse efficax sicut et primum, subdit *et placabilis erit ei*, scilicet Deus homini, secundum illud Ioel. II[13] « Benignus et misericors est et placabilis super malitiam ». Et ex hoc sequitur in homine fiducia cogitandi de Deo cum quadam spirituali laetitia, unde subdit *et videbit*, scilicet homo, *faciem eius*, idest considerabit bonitatem ipsius, in praesenti quidem vita imperfecte in futura autem perfecte, *in iubilo*, idest in quodam inexplicabili gaudio; *et* sic *reddet*, scilicet Deus, *homini iustitiam suam*, idest remunerabit eum pro meritis, remoto impedimento peccati. Sed hoc esse non potest nisi homo humiliter

235 conquestioni] questioni F γ(-F[3]) 236 respondeat] — derat β[1] V[2] R 238 rationem] questionem F N V[1] timorem F[2]
252 questioni] conquestioni V[2] δ(-Pd) π quia] que F N V[1] V[2] Va 256 suis *om.* N V[1] γ (*def.* F[2]) 265 enuntiet] — tiat As anuntiet *cum Vulg.* Va 277 quod] quem F N V[1] quid Sv quam Va (*def.* F[2]) 279 ad] ideo *praem.* sPd
et *praem. cet.* (-F[2] π) *et delevimus* 297 malitiam] — tia β[1] δ[1] π ma. F

240 Cap. VII[14]. 255 qui...adiuvantes: cf. *Glossa ordin.* super Phil. IV[4]. 289 supra: vers. 23.

[27] Respiciet homines et dicet: Peccavi et vere deliqui et ut eram dignus non recepi. [28] Liberavit enim animam suam ne pergeret in interitum sed vivens videret lucem. [29] Ecce haec omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos, [30] ut revocet animas eorum a corruptione et illuminet in luce viventium. [31] Attende, Iob, et audi me et tace dum ego loquor. [32] Si autem habes quid loquaris, responde mihi, loquere; volo enim te apparere iustum. [33] Quod si non habes, audi me, tace, et docebo te sapientiam.

suum peccatum recognoscat et confiteatur, unde subdit *Respiciet homines*, quasi ultro se offerens ad confessionem peccati, unde subdit *et dicet: Peccavi*. Et ut non credatur hoc ex humilitate dicere, subdit *et vere deliqui*, quod inducit contra Iob quia supra dixerat XVII[2] «Non peccavi et in amaritudinibus moratur oculus meus». Et in sua confessione non murmurabit de poenae gravitate, unde subdit *et ut eram dignus non recepi*, quasi dicat: graviorem poenam merui, et hoc videtur dicere contra hoc quod Iob supra VI[3] dixerat «Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui» etc. Et fructum humilitatis ostendit subdens *Liberavit enim animam suam*, scilicet confitendo peccatum, *ne pergeret in interitum*, idest in mortem, corporalem scilicet vel spiritualem, et ut ulterius bona consequeretur, unde subdit *sed vivens videret lucem*, scilicet vel corporalem vel spiritualem sapientiae.

Et quia Deus non statim hominem finaliter damnat sed multotiens monet, ideo subdit *Ecce haec omnia*, scilicet quae pertinent ad instructionem per somnia et increpationem per dolores et sanationem, *operatur Deus tribus vicibus*, idest multotiens quandiu viderit expedire; sed utitur numero ternario ut congruat humanae consuetudini per quam solent homines ter moneri vel citari. Et hoc facit non uni tantum sed omnibus indigentibus, unde subdit *per singulos*, quos scilicet viderit instruendos et increpandos. Et assignat utilitatem subdens *ut revocet animas eorum a corruptione*, quod pertinet ad liberationem a malo, *et illuminet in luce viventium*, quod pertinet ad consecutionem bonorum: et potest utrumque exponi corporaliter vel spiritualiter. Quod autem dicitur hic de «tribus vicibus» referendum est ad duos secundos modos locutionis: nam de primo dictum est quod «secundo id ipsum non repetit»; inducit autem hoc quasi ad ostendendum rationem quare aliquando peccatores sustinentur in prosperitate et non statim condemnantur.

Et quia videbatur ei quod efficaciter locutus esset, inducit Iob ad tacite audiendum ea quae restant, unde subdit *Attende, Iob*, scilicet corde, *et audi me*, scilicet auribus, *et tace dum ego loquor*, scilicet ne me impedias. Et ne videatur ei auferre facultatem respondendi, subdit *Si autem habes quid loquaris, responde mihi;* et quasi desiderans eius responsionem subdit *loquere;* et causam desiderii subdens dicit *volo enim te apparere iustum*, quod dicit ad ostendendum quod non intendebat eius confusionem. Et quia non credebat eum esse iustum subdit *Quod si non habes*, quid scilicet pro tua iustitia dicas, *audi me, tace, et docebo te sapientiam*, quam scilicet ignoras.

317 Et *om.* F δ 329 viderit] videtur F δ π

331 ter moneri: cf. *I Decretal.* tit. 2 c. 11 et tit. 34 c. 1 (ed. Friedberg II,14 et 203); vel citari: cf. *XLII Digesta* 1,53 (ed. Mommsen 715) et *II Decretum* causa 24 q. 3 can. 6 (ed. Friedberg 1,991). 341 Vers. 14.

CAPITULUM XXXIV

[1] Pronuntians quoque Eliud haec locutus est: [2] Audite, sapientes, verba mea, et eruditi, auscultate me. [3] Auris enim verba probat et guttur escas gustu diiudicat. [4] Iudicium eligamus nobis et inter nos videamus quid sit melius. [5] Quia dixisti, Iob: Iustus sum et Deus subvertit iudicium meum. [6] In iudicando enim me est mendacium, et violenta est sagitta mea absque peccato. [7] Quis est vir ut est Iob? Qui bibit subsannationem quasi aquam,

Pronuntians quoque Eliud haec locutus est. Postquam Eliud reprehenderat Iob de hoc quod cum Deo disputare cupiebat, accedit ad disputandum contra illa duo quae supra praemiserat, et primo disputat contra id quod, sicut sibi videbatur, Iob dixerat divinum iudicium esse iniustum; et quia haec materia est valde difficilis et sublimis, non est contentus in hac disputatione ad solum Iob verba dirigere, praecipue quia putabat in hac materia esse erroneum, sed invocat sapientes ad hanc rem diiudicandam. Hominum autem quidam sapientiam per se ipsos considerant, et quantum ad hoc dicit *Audite, sapientes, verba mea*, quidam vero de his quae ad sapientiam pertinent instruuntur, et quantum ad hoc subdit *et eruditi*, scilicet ab aliis, *auscultate me.* Quare autem alios ad audientiam invitet ostendit subdens *Auris enim verba probat*, quasi dicat: ad hoc vos invito quod verba mea audientes ea diiudicetis; et inducit similitudinem cum subdit *et guttur escas* <*gustu*> *diiudicat*, quasi dicat: sicut gustus habet iudicare de escis ita auditus de verbis. Ad quid autem haec pertineant exponit subdens *Iudicium eligamus nobis*, quasi dicat: ex communi consensu iudicemus quid verius sit, et hoc est quod subdit *et inter nos videamus quid sit melius*, utrum scilicet quod Iob dixit aut illud quod ego sum contra eum dicturus.

Unde consequenter proponit verbum Iob subdens *Quia dixisti, Iob: Iustus sum;* hoc idem dixerat supra XXVII[6] «Iustificationem meam quam coepi tenere non deseram», et ulterius suam iustitiam manifestaverat quantum ad multa supra XXXI. Subdit autem *et Deus subvertit iudicium meum*, et hoc idem accipit ex hoc quod Iob supra XXVII[2] dixerat «Vivit Deus qui abstulit iudicium meum», et ad idem pertinere videtur quod supra XIX[6] dixerat «Deus non aequo iudicio afflixit me». Quae quidem verba Eliud in peius interpretatus est: Iob enim suum iudicium ablatum esse dixerat quia poenas sibi irrogatas esse aestimabat non ex iudicio punientis culpam sed ex providentia probantis iustitiam, unde supra XXIII[10] dixerat «Probabit me quasi aurum quod per ignem transit»; non autem quicumque non utitur iudicio subvertit iudicium, sed solum ille qui iudicium profert iniustum: sic ergo interpretatus est quod Iob dixerat «Deus abstulit iudicium», ac si dixisset: Deus subvertit iudicium meum iniuste iudicando, unde subdit *In iudicando enim me est mendacium*, idest falsitas iudicii; quod quidem Iob numquam dixerat, sed Eliud hanc esse eius intentionem in verbis praemissis credidit, ut diceret se esse iniuste punitum. Ideo autem hanc opinionem Eliud conceperat quia non videbat qualiter aliquis absque peccato posset affligi nisi iniuste; et quia Iob sine peccato se esse dicebat, aestimabat quod Iob sentiret se a Deo percussum per violentiam contra iustitiam, unde subdit *et violenta est sagitta mea absque peccato*, quasi dicat Iob dixisse: cum sim absque peccato, sagitta qua Deus me vulneravit, idest adversitas immissa, violenta fuit, non iusta; et videtur alludere verbis Iob quibus supra dixerat «Sagittae Domini in me sunt».

Postquam igitur hanc perversitatem Eliud imposuerat ipsi Iob, eum super hoc vituperare incipit dicens *Quis est vir ut est Iob?*, quasi: nullus, qui vir videatur, est ita perversus ut ipse; maxima enim perversitas videtur ut aliquis Deum irrideat eius iudiciis detrahendo, unde subdit *Qui bibit subsannationem*, idest divinorum iudiciorum irrisionem et reprobationem, *quasi aquam*, quae scilicet et fa-

1 haec] et N V^2 et hec Va etiam hec *cum Vulg.* Pd π *cum Vulg.* π —git Va 20 <gustu> *suppl. cum Vulg. et* π] *om. cet.* 37 afflixit] — xerit 65 quasi] dicat *add.* pN γ δ π 66 est] *om.* V^2 quis est sVa esse est δ^1 π

3 cupiebat: cf. cap. 33 113. 4 supra: cap. XXXIII[9,10]. primo: cf. 'Postquam' cap. 35 1. 46 Cap. XXVII[2]. 61 Cap. VI[4].

[8] qui graditur cum operantibus iniquitatem et ambulat cum viris impiis. [9] Dixit enim: Non placebit vir Deo etiam si cucurrerit cum eo. [10] Ideo, viri cordati, audite me. Absit a Deo impietas et ab Omnipotente iniquitas. [11] Opus enim hominis reddet ei, et iuxta vias singulorum restituet eis. <[12]Vere Deus non condemnabit frustra nec Omnipotens subvertit iudicium.> [13] Quem constituit alium super terram? Aut quem posuit super orbem quem fabricatus est?

ciliter et cum refrigerio bibitur, ac si ei imponeret quod hoc quod in contumelias Dei prorumperet, esset ei ad tribulationis refrigerium et absque obstaculo conscientiae contradicentis hoc ageret. Solet autem hoc esse proprium in peccatis perseverare volentium ut divina contemnant iudicia, unde subdit *qui graditur*, idest consentit, *cum operantibus iniquitatem*, qui scilicet iudicia divina despiciunt; homines autem contra pietatem divinae religionis agentes non solum despiciunt divina iudicia sed etiam ea negant vel asserunt iniusta, quorum participem Iob esse credebat, unde subdit *et ambulat cum viris impiis*, qui scilicet pietatem divinae religionis abiciunt. Quare autem eum cum eis consentire dicat ostendit subdens *Dixit enim: Non placebit vir Deo etiam si cucurrerit cum eo*, idest etiam si eum secutus fuerit per viam iustitiae. Hoc autem Iob non dixerat, sed verbis eius Eliud abutens hoc ei imponit; dixerat enim supra Iob XXIII[11] «Vestigia eius secutus est pes meus», et postea supra XXX[21] dixerat «Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuae adversaris mihi», ex quibus verbis credebat Iob hoc sentire quod Deo displiceret quamvis eum fuerit secutus, sed Iob praedicta verba retulerat ad exteriorem persecutionem, non ad interiorem reprobationem.

Quia ergo Eliud verbis Iob abutens ei imponere nitebatur quod ipse non sentiebat nec in suis verbis intellexerat, manifestum est quod tota sequens disputatio contra Iob non erat; quia tamen Eliud aestimabat Iob tantae perversitatis esse ut Dei iudicium reputaret iniustum, dedignatur eum super hoc ad disputationem provocare sed alios sapientes advocat ad iudicandum, unde subdit *Ideo viri cordati*, idest intelligentes, *audite me:* sicut enim cor est principium vitae corporalis, ita intellectus est principium totius intellectualis vitae, unde et supra XII[3] cor pro intellectu posuerat dicens «Et mihi est cor sicut et vobis».

In sua autem disputatione Eliud primo proponit quod probare intendit, quod scilicet in divino iudicio iniustitia esse non possit: ipse enim est Deus cui debetur pietatis cultus, et per suam omnipotentiam omnibus dominatur leges iustitiae statuens homini; et ideo contra divinitatem eius esset si impietati faveret, et ideo dicit *Absit a Deo impietas;* esset etiam contra dominium omnipotentiae eius si ad iniustitiam declinaret, unde subdit *et ab Omnipotente iniquitas*, scilicet absit. Remota autem divina iniustitia, ostendit modum divinae iustitiae subdens *Opus enim hominis reddet ei*, idest retribuet ei bonum vel malum pro eius operibus; et quia eorum qui bene operantur quidam aliis melius faciunt, et eorum qui male operantur quidam aliis magis peccant, ideo subdit *et iuxta vias singulorum restituet eis*, scilicet melius meliori et peius peiori.

Quod autem in Deo non sit iniustitia probat primo quidem ex hoc quod si ipse iniustus esset nusquam iustitia reperiretur, quia ad ipsum pertinet universale iudicium omnium, unde subdit *Quem constituit alium super terram?*, quasi dicat: numquid credendum est quod aliquis sit constitutus a Deo qui iuste iudicet omnem terram, si apud ipsum sit iniquitas? Ideo autem dicit credendum non esse quod alius terram iudicet quia idem est factor mundi et gubernator; unde sicut nulli alii commisit quod faceret mundum, ita nullum alium praeposuit gubernationi mundi, et hoc est quod subdit *Aut quem posuit super orbem quem fabricatus est*, idest totius orbis gubernatorem? Quasi dicat 'nullum', quia sicut ipse per se ipsum orbem fabricatus est, ita etiam per se ipsum orbem gubernat et iudicat; habet quidem gubernationis suae executores tamquam ministros, sed ipse est omnium ordinator: nullo autem modo possibile est quod universalis mundi gubernatio sit iniusta.

Secundo ostendit quod apud Deum non sit violentia et iniquitas per experimentum: tanta est enim eius potentia qua res conservat in esse ut, si violentia

72 hoc quod *scripsi. cum* V[1] δ[1] π] *om.* F F[2] γ(-F[2]) hoc N V[2] Va ipse F[2] 111 est] et *add.* N V[1] V[2] γ(-Sv) 115 a Deo *scripsi. cum Vulg.* γ δ π (*et ipso Thoma Cont. gent. autogr. Vat. lat.* 9850, *f.* 14*vb lin.* 15)] ab eo *cet.* 127 nusquam] nunquam V[1] γ δ π 129 *Versus* 12 *omittitur ab omnibus testibus praeter* π *qui, lin.* 127 *post* quod, *ita supplevit*: ipse non condempnat frustra. idest sine causa. nec subvertit iudicium. et ideo subdit. vere deus non condempnabit frustra nec omnipotens subvertit iudicium. secundo ex hoc quod (*cf. Praef.* § 95) 148 qua] quam F N quod V[1] V[2] quanta Va

104 cor: cf. supra cap. 18 167 nota. 134 idem...gubernationi mundi: cf. Gregor. *XXIV Moral.* cap. 20 (PL 76,314 B).

[14] Si direxerit ad eum cor suum, spiritum suum et flatum ad se trahet. [15] Deficiet omnis caro simul et homo in cinerem revertetur. [16] Si ergo habes intellectum, audi quod dicitur et ausculta vocem eloquii mei. [17] Numquid qui non amat iudicium sanari potest? Et quomodo tu eum qui iustus est intantum condemnas? [18] Qui dicit regi: Apostata! qui vocat duces impios, [19] qui non accipit personas principum nec cognovit tyrannum cum disceptaret contra pauperem: opus enim manuum eius sunt universi. [20] Subito morientur, et in media nocte curvabuntur populi,

uti vellet contra iustitiam, omnes homines subito posset extinguere, unde subdit *Si direxerit*, scilicet Deus, *ad eum*, scilicet ad hominem conterendum, *cor suum*, idest voluntatem suam, *spiritum suum*, idest animam eius, *et flatum*, idest corporalem vitam ex anima subsecutam, *ad se trahet*, eum scilicet sua virtute a corpore separans, secundum illud Eccl. ult. «Et spiritus revertatur ad Deum qui dedit illum». Ablato autem spiritu divinitus homini dato, consequens est ut carnalis vita deficiat, unde subdit *Deficiet omnis caro simul*, idest species carnis cessabit, et ulterius in sua componentia resolvetur, unde subdit *et homo in cinerem revertetur*, secundum illud Psalmi «Auferes spiritum eorum et deficient et in pulverem suum revertentur». Pulverem autem in quem caro resolvitur cinerem nominat, vel quia apud antiquos corpora mortuorum igne combusta resolvebantur in cineres, vel quia ea in quae corpus mortuum resolvitur sunt quaedam reliquiae caloris naturalis qui in humano corpore vigebat. Quia ergo tam facile est Deo, si velit, in cinerem redigere totum genus humanum, ex ipsa hominum conservatione apparet quod ad eos violentia iniusta non utitur.

Quia ergo Eliud putavit praedictas rationes esse sufficientes, ad earum considerationem Iob invitat cum subdit *Si ergo habes intellectum*, ut scilicet vim mearum rationum percipere possis, *audi quod dicitur*, scilicet exterioribus auribus, *et* interiori attentione *ausculta vocem eloquii mei*, ut scilicet iustitiam divini iudicii recognoscas; ad quod etiam eum inducit ex proprio periculo vel utilitate cum subdit *Numquid qui non amat iudicium sanari potest?*, quasi dicat: tu qui sanari indiges, quasi multis infirmitatibus oppressus, hoc consequi non potes nisi ames divinum iudicium. Improbat autem consequenter eius sententiam, quam esse putabat de iniustitia divini iudicii, per multa evidentia indicia divinae iustitiae, unde subdit *Et quomodo tu eum*, scilicet Deum, *qui iustus est*, ut scilicet per multa apparet, *intantum condemnas*, ut scilicet eum dicas iudicii subversorem? Ad commendationem autem divinae iustitiae primo assumit quod potentum personas Deus non accipit sed eos arguit et punit pro suis peccatis. Inter potestates autem humanas praecellit regia dignitas, et quantum ad hoc primo dicit *Qui*, scilicet Deus, *dicit regi: Apostata!* idest non veretur regem arguere de apostasia propriae professionis qua profitetur se iustitiam servaturum; secundum autem locum tenent duces exercituum, de quibus subdit *qui vocat duces impios*, quasi dicat: non timet eos de crudelitate arguere; tertio loco ponit rectores civitatum, cum subdit *qui non accipit personas principum*, quin scilicet eos et arguat et iudicet pro peccatis; quarto autem loco tangit eos qui non habent legitimam sed usurpatam potestatem, scilicet tyrannos, et quantum ad hoc subdit *nec cognovit*, idest approbavit, *tyrannum*, ei scilicet deferendo, *cum disceptaret*, scilicet tyrannus, *contra pauperem*, quasi dicat: non favet potentibus contra impotentes, quod ad eius iustitiam pertinet. Et quare eis non deferat subdit *opus enim manuum eius sunt universi*, scilicet tam magni quam parvi, et ideo parvos non despicit sed amat sicut sua opera, nec potentes timet cum sint suae potestati subiecti.

Et ne crederet aliquis quod potentes Deus solum argueret, non autem eos ulterius puniret, subditur de eorum duplici poena: primo quidem de morte ex improviso eis superveniente, unde subditur *Subito morientur*, secundum illud Is. xxx[13] «Subito dum non speratur veniet contritio eius»; si enim consueto modo eis mors expectata superveniret, non imputaretur hoc divino iudicio sed inferioribus causis. Secundo ponit poenam rebellionis subditorum, per quam potestatem amittunt, unde subdit *et in media nocte curvabuntur populi*, idest populi regibus et principibus subiecti subito incurvantur ex aliqua occulta machinatione ad hoc quod principes suos

150 direxerit] dixerit N β^1 γ(-Sv) R direxit Pd 152 suum^2] illius *cum Vulg.* δ(-R) π 164 quem] quantum N V^2 Va qua V^1 (*def.* Sv) 193 autem *om.* F γ R 225 incurvantur] morientur F inebriantur F^2 inclinantur V^2 *om.* δ turbantur π

156 Eccl. xii[7]. 162 Ps. civ[29]. 165 apud antiquos: cf. Plinius *VII Nat. hist.* cap. 54 (55); ipse Thomas *Super IV Sent.* d. 43 a. 4 qc. 2 ad 2.

et pertransibunt et auferent violentum absque manu. [21] Oculus enim eius est super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat. [22] Non sunt tenebrae et non est umbra mortis ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem. [23] Neque enim ultra in hominis potestate est ut veniat ad Deum in iudicium. [24] Conteret multos et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis. [25] Novit enim opera eorum, idcirco inducet noctem et conterentur. [26] Quasi impios percussit eos in loco videntium,

deserant, unde subdit *et pertransibunt*, scilicet dominium commutantes, *et auferent*, idest deponent a dominio vel etiam occident, *violentum*, idest eum qui spreta iustitia violentiam subditis inferebat, *absque manu*, scilicet armatorum: cum enim aliquis princeps ab extraneis aufertur, requiritur quod habeat manum armatam contra ipsum, sed quando subditi in quibus erat tota eius potentia subito eum deserunt, videtur auferri sine manu; quamvis et hoc possit referri ad poenam populorum, sed primum melius est quia nunc agitur de iustitia quam Deus exercet in magnos, postea autem dicetur de iustitia quam exercet in populos. Ut autem huiusmodi poenae ex divino iudicio provenire credantur, subdit *Oculus enim eius*, idest prospectus divinae providentiae, *est super vias hominum*, idest super opera eorum; et ut exprimat Deum singulariter omnia particularia operum humanorum cognoscere, subdit *et omnes gressus eorum*, idest omnes processus operationum humanarum, *considerat*, scilicet distincte, non solum in generali.

Posset autem aliquis credere quod quia Deus lux est, impii autem in tenebris sunt, quod occultentur a Deo, sed hoc excludit subdens *Non sunt tenebrae*, scilicet ignorantiae, *et non est umbra mortis*, idest obscuritas culpae ducens ad mortem, *ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem*, quasi scilicet sicut ipsi cognoscere Deum nolunt ita Deus eos non cognoscat; dicitur tamen eos ignorare reprobando. Et quia dixerat principes pro suis peccatis subito mori et auferri, quod videtur esse irremediabilis poena, huius rationem ostendit consequenter ex hoc quod ex quo Deus hominem iudicat pro suis peccatis finaliter condemnandum, non datur homini facultas ut ulterius quasi iudicio decertet cum Deo: et hoc est quod subdit *Neque enim ultra*, scilicet postquam Deus iudicat eum condemnandum, *in hominis potestate est ut veniat ad Deum in iudicium*, quasi scilicet Deus sit propter eum suum iudicium retracturus; et hoc praecipue videbatur dicere contra Iob qui postquam condemnatus erat ad poenam, supra XXIII[3] dixerat «Veniam usque ad solium eius, ponam coram eo iudicium».

Conteret multos et innumerabiles etc. Duo sunt propter quae homines maxime solent a iustitia declinare, quorum primum est quia deferunt magnatibus, secundum est quia deferunt multitudini contra iustitiam; ostenderat autem supra perfectionem divinae iustitiae ex hoc quod magnatibus non defert, unde nunc consequenter ad commendationem divinae iustitiae <ostendit> quod nec etiam multitudini peccantium defert, unde dicit *Conteret multos*, scilicet peccatores, eos occidendo vel aliter puniendo. Et ne credatur usque ad aliquam certam quantitatem multitudinis procedere divinam iustitiam et non ultra, subdit *et innumerabiles*, quasi dicat: certo numero comprehendi non possunt illi quos propter peccata Dei iustitia conterit. Sed ne ex hoc deperire credatur humani generis status, subdit *et stare faciet alios pro eis*, quia scilicet quibusdam morientibus alii succedunt, et quibusdam a prosperitate decidentibus alii sublevantur, ut sic quodammodo uniformitas in genere humano appareat. Solet autem contingere quod quando sunt multi puniendi, non possunt iudices singulorum causas diligenter perscrutari; sed ne hoc de Deo credatur subdit *Novit enim opera eorum*, quid scilicet unusquisque mereatur; et ideo singulis secundum sua opera retribuit, unde subdit *idcirco inducet noctem*, idest subitam et inopinatam adversitatem, *et conterentur*, scilicet ex improviso.

Quare autem in nocte opprimantur ostendit ex hoc quod, cum ipsi possent videre illud quod eis expediebat, hoc contempserunt, et ideo iustum est ut non detur eis facultas praevidendi supervenientia mala ad cavendum: et hoc est quod subdit *Quasi impios*, idest pietatis notitiam respuentes, *percussit*

236 possit] posset F β^1 V^1 Va 241 Oculus] oculi *cum Vulg.* N γ δ π 245 omnes[2] *om.* γ δ π 254 cognoscat] —scit F recognoscat β^1 V^2 277 <ostendit> *suppl. cum* δ^1 π] dicit γ(-Sv) *om. cet.* (*ab hinc usque post medium cap.* 39 *circa lin.* 310, *relicta stirpe* γ, *cum codice* N *testatur* Sv, *cf. Praef.* § 40; *consensus vero* As+F^3 *per* γ^1 *declaratur*)

238 postea: vers. 24. 243 opera: cf. *Glossa interlin.* super Iob XXXIV[21]. 255 dicitur...reprobando: cf. Gregor. *I Moral.* cap. 5 (PL 75.557 D). 256 dixerat: vers. 20. 274 supra: vers. 18-23.

[27] qui quasi de industria recesserunt ab eo et omnes vias eius intelligere noluerunt, [28] ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni et audiret vocem pauperum. [29] Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet? Ex quo abscondit faciem suam, quis est qui contempletur eum? Et super gentem et super omnes homines, [30] qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. [31] Quia ergo ego locutus sum ad Deum, te quoque non prohibebo. [32] Si erravi, tu doce me. Si iniquitatem locutus sum, ultra non addam. [33] Numquid a te Deus expetit eam, quia displicuit tibi?

eos, scilicet existentes *in loco videntium*, idest in statu in quo videre poterant, tum per naturalem rationem tum per sacram doctrinam, quid esset faciendum et quid esset vitandum; sed hoc ipsi respuerunt, unde subdit *qui quasi de industria recesserunt ab eo*, scilicet Deo, peccantes ex certa malitia. Unde ponit consequenter in eis ignorantiam affectatam cum subdit *et omnes vias eius*, idest mandata Dei, *intelligere noluerunt*, et sic patet quod propter ignorantiam non excusantur sed magis damnabiles redduntur. Effectum autem huiusmodi malitiae affectatae ostendit subdens *ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni*, quasi dicat: intantum ostendunt se viarum Dei ignaros ut pauperes opprimerent quos Deus exaudit; unde sicut non exhorrent pauperum oppressionem, ita non timent Dei indignationem, unde subdit *et audiret vocem pauperum*, quasi dicat: parvipendunt quod Deus voluntatem suam adhibet ad pauperes exaudiendum.

Et quia multitudinis contritionem attribuerat divino iudicio, posset autem aliquis credere hoc non provenire ex divino iudicio quod aliqua multitudo conteritur et alia prosperatur, sed per alicuius potentis principis aut gubernationem aut impugnationem, ideo ad hoc excludendum subdit *Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet?*, quasi dicat: ideo dico quod ipse est qui «conterit multos et innumerabiles», quia si ipse vellet eis pacem temporis et prosperitatis concedere, nullus posset multitudinem condemnare, et e contrario si ipse condemnare intendit, nullus est qui possit pacem praebere, unde subdit *Ex quo abscondit faciem suam*, subtrahendo scilicet suae consolationis praesentiam, *quis est qui contempletur eum*, idest qui possit in eo consolationem invenire quasi eius pulcritudinem videndo?

Est autem et alia poena multitudinis praeter contritionem, qua scilicet affligitur tyrannorum dominio, et quantum ad hanc poenam subdit *Et super gentem et super omnes homines*, quasi dicat: non solum in una gente iudicia sua exercet per contritionem vel tyrannorum oppressionem, sed etiam in omnes homines; et subdit de tyrannorum oppressione *qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*, qui scilicet ex eius regimine affligitur, in quo etiam videtur respondere quaestioni quam Iob proposuerat supra XXI[7] «Quare impii vivunt, confortati sunt sublimatique divitiis?»; hoc enim esse asserit non <propter> eorum merita, sicut ibidem Iob probaverat, sed propter aliorum demerita qui ex eorum prosperitate puniuntur.

Sic ergo ostenso quod in Deo iniustitia esse non potest et quod eius iustitia maxime manifesta est ex iudiciis quae exercet in principes et multitudinem, dat Iob locum respondendi, unde subdit *Quia ergo ego locutus sum ad Deum*, idest ea quae ad Dei honorem spectant, *te quoque non prohibebo*, dans scilicet tibi locum respondendi. Et ad quid debeat sua responsio tendere ostendit subdens *Si erravi*, scilicet sicut aliis amicis tuis imposuisti, scilicet quod essent «cultores perversorum dogmatum», *tu doce me*, scilicet veritatem ut possim ab errore liberari. Potest autem aliquis in loquendo deficere non solum errando contra veritatem doctrinae, sed etiam in particulari iudicio deficiendo contra veritatem iustitiae, unde subdit *Si iniquitatem locutus sum, ultra non addam*, ostendens scilicet se correctioni paratum. Et quia aestimabat quod Iob contra eum graviter turbaretur, consequenter ostendit eius turbationem esse iniustam subdens *Numquid a te Deus expetit eam?*, quasi dicat: etiam dato quod sim iniquitatem locutus, tu pro ea non tenēris Deo respondere, unde non debes graviter per hoc turbari, unde subdit *quia displicuit tibi?*, scilicet per inordinatam animi turbationem. Ostendit autem secundo quod non debet inde graviter turbari quia ipsemet Iob verba ince-

324 autem *om.* Sv β^1 V^2 Va sPd 326 conteritur] —ratur F β^1 V^2 331 temporis et] temporalis N Sv δ^1 π 334 possit] posset F γ^1 Pd 335 faciem suam] vultum suum *cum Vulg.* Pd π 351 confortati sunt sublimatique (*cf. Praef.* § 132)] sublevati sunt confortatique *cum Vulg.* Va (*def.* γ^1) 352 <propter> *suppl. cum* γ^1 δ^1 π] per Sv *om. cet.* merita] —to β^1 V^2 358 unde subdit *om.* β^1 V^2 359 ea *scripsi. cum* Sv γ^1] ad ea *cet.* 375 pro ea] pro eo N Sv γ^1 propterea β^1 376 per] de F pro V^1 V^2 γ^1

310 ignorantiam affectatam: cf. supra cap. 21 133. 330 Vers. 24. 364 Cap. XIII[4].

Tu enim coepisti loqui, et non ego. Quod si quid nosti melius, loquere. [34] Viri intelligentes loquantur mihi, et vir sapiens audiat me. [35] Iob autem stulte locutus est, et verba illius non sonant disciplinam. [36] Pater mi, probetur Iob usque ad finem, ne desinas ab homine iniquitatis. [37] Qui super peccata sua addit blasphemiam, inter nos interim constringatur, et tunc ad iudicium provocet sermonibus suis Deum.

perat dicens «Pereat dies» etc., ex quibus tota disputatio habuit ortum, <unde subdit *Tu enim coepisti loqui, et non ego*>. Tertio ostendit eum non debere graviter turbari quia ipse etiam habet facultatem dicendi quod sibi placuerit, unde subdit *Quod si quid nosti melius*, scilicet quam ego dixerim, *loquere*, scilicet ostendendo errorem vel iniquitatem meam.

Et ne videretur hoc dixisse quasi dubitans de sua iustitia et veritate suorum verborum, intendit asserere consequenter Iob et in sapientia et <in> intellectu deficere: et propter hoc reputabat eum indignum sua disputatione, cuius una pars pertinet ad opponentem, in quo maxime requiritur acumen intellectus ad inveniendum rationabiles vias ad propositum ostendendum, unde subdit *Viri intelligentes loquantur mihi*, scilicet mihi obicientes; altera vero pars disputationis pertinet ad respondentem, in quo maxime requiritur sapientia ut bene iudicet de auditis, unde subdit *et vir sapiens audiat me*, scilicet opponentem, paratus ad respondendum. Horum autem defectum in Iob ex eius verbis collegerat, unde subdit *Iob autem stulte*, idest contra sapientiam, *locutus est*, quantum scilicet ad hoc quod reputabat eum aliquid dixisse contra rectitudinem divini iudicii, *et verba illius nôn sonant disciplinam*, quae scilicet pertinet ad ordinatam intelligentiam, et hoc videtur retulisse ad hoc quod Iob se iustum asserebat.

Et quia Iob istos defectus in se non recognoscebat, convertit Eliud verba sua ad Deum postulans ut <probetur> Iob ad suos defectus recognoscendum, unde subdit *Pater mi*, idest o Deus quem patrem reputo propter reverentiam quam ad te habeo, iustitiam tuam in omnibus defendens, *probetur Iob*, idest ostendatur sibi per flagella suus defectus, *usque ad finem*, idest quousque se recognoscat iniustum; vel *usque ad finem*, idest usque ad mortem. Et huius petitionis iustitiam ostendit subdens *ne desinas ab homine iniquitatis*, quasi dicat: iniquitas sua hoc meretur ut flagella non cessent. Et ad maiorem exaggerationem subdit *Qui super peccata sua*, scilicet praeterita pro quibus flagellatus est, *addit blasphemiam*, ut scilicet se iustum, Deum vero asserat iniustum; pro quo exoptat ei primo quidem poenam in praesenti, unde subdit *inter nos interim constringatur*, scilicet adversitatibus; secundo autem innuit poenam futuram, unde subdit *et tunc*, scilicet iam temporaliter afflictus, *ad iudicium*, scilicet futurae ultionis, *provocet sermonibus suis Deum*, quibus scilicet contra eum blasphemat.

381 <unde...egò> *suppl. cum* V² sAs Pd π] *om. cet.* 389 <in> *suppl. cum* γ¹ sVa Pd] *om. cet.* 410 <probetur> *coni. cum* sAs] *om. cet.* 410 ad *om.* δ π recognoscendum] revocetur *add.* Sv reducatur (—cat F²) *add.* β¹ V² reducitur *add.* F² recognosceret Va ¯cognosceret δ¹ π 421 praeterita] predicta β¹ V² peccata Pd

380 Cap. III³. 392-396 opponentem...ad propositum ostendendum...respondentem: cf. Lambertus Altissiodor. *Summulae logicales* tr. de fallaciis: 'Disputatio est actus sillogisticus unius ad alterum ad propositum aliquod ostendendum. ad disputationem enim exigitur actus disputandi inter opponentem et respondentem' (ms. Paris B.N. lat. 16617, f. 103r); idem apud Petrum Hispan. initio *Tract. maiorum fallaciarum* (ms. Vatic. Regin. lat. 1731, f. 111rb); vide etiam supra cap. 13 307.

Et ne forte praesumptuose Iob diceret se Dei opera perfecte cognoscere, irrisorie subicit dicens *Ostende nobis quid dicamus illi*, quasi dicat: si tu es ita sapiens quod omnia Dei opera cognoscas et quod super his etiam possis disputare cum eo, doceas nos ut possimus ei respondere; et necessitatem ostendit subdens *nos quippe involvimur tenebris*, quasi dicat: multum indigeremus quod praedicta nobis ostenderes quia nos ea penitus ignoramus. Et quia ipse multa de effectibus divinis locutus fuerat, ne hoc ei ad praesumptionem imputaretur quasi ipse aestimaret se praedicta perfecte cognoscere, ad hoc excludendum subdit *Quis narrabit ei quae loquor?*, quasi dicat: haec quae de effectibus eius locutus sum nullus sufficienter narrare potest prout convenit ei, secundum excellentiam scilicet suae virtutis. Et si quis in tantam praesumptionem erigeretur ut sufficienter de Deo loqui se aestimaret, ex hoc ipso sibi periculum immineret, unde subdit *Etiam si locutus fuerit homo*, scilicet quasi volens divinos effectus comprehendere, *devorabitur*, quasi

272 fundati] fusi Sv β^1 δ(-Pd) π fulsi Pd fu. γ^1

253 ex regionibus calidis: cf. Arist. *II Meteora* 6 (358 a 29). 256-259 de effectu austri...dispergit: cf. Isid. *De nat. rerum* cap. 37 (PL 83,1007) et Barthol. Anglic. *XI De propriet. rerum* cap. 3. 268 caelestia autem corpora...: cf. Albertus *I De caelo* tr. 1 c. 8. 272 aerei: apud Ioh. Damasc. *II De fide* cap. 6 (PG 94,884 C; Bt 82) ut refert Thomas *I Pars* q. 68 a. 4. 274 cedunt tangenti: cf. Arist. *III De caelo* 3 (299 b 13) et *IV Meteora* cap. 4 (382 a 11).

[21] At nunc non vident lucem. Subito aer cogetur in nubes et ventus transiens fugabit eas. [22] Ab aquilone aurum veniet et a Deo formidolosa laudatio. [23] Digne eum invenire non possumus, magnus fortitudine et iudicio et iustitia, et enarrari non potest. [24] Ideo timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes.

absorptus a magnitudine materiae de qua loquitur, secundum illud Prov. XXV[27] «Qui perscrutator est maiestatis opprimetur a gloria». Vel potest aliter intelligi ut sit sensus: non solum homo <non> potest convenienter enarrare divinos effectus sed *etiam si* ipse Deus eos *locutus fuerit*, homini scilicet revelando, *homo devorabitur*, quasi tantam rem capere non valens, unde dicitur Ioh. XVI[12] «Multa habeo vobis dicere quae non potestis portare modo», et Deut. V[26] dicitur «Quid est omnis caro ut audiat vocem Dei viventis?».

Sed ne aliquis crederet quod cognitio veritatis divinae in perpetuum esset homini subtrahenda, ad hoc excludendum subdit *At nunc*, idest in praesenti tempore, *non vident*, scilicet homines, *lucem*, idest claritatem divinae cognitionis: amico tamen Dei annuntiatur quod «ad eam» quandoque «possit ascendere», ut supra dictum est; et ad hoc similitudinem inducit dicens *Subito aer cogetur in nubes*, propter congregationem vaporum ab austro, et ex hoc redditur aer tenebrosus; sed huiusmodi tenebrae postmodum transeunt nubibus fugatis, unde subdit *et ventus transiens*, scilicet aquilo, *fugabit eas*, quasi dicat: per hunc modum, licet nunc tenebris involvatur, tamen superveniente morte quae est quasi quidam transitus venti, praedictae tenebrae fugabuntur.

Contingit autem quandoque quod in aliquo loco tenebroso aliquid fulgidum invenitur, sicut pars septentrionalis tenebrosa dicitur propter elongationem eius a sole et tamen in septentrionalibus regionibus multum auri invenitur quod est inter cetera metalla fulgidius, et hoc ideo quia calore propter circumstans aeris frigus recurrente ad interiora viscera terrae efficacius ibi operatur ad auri generationem, et hoc est quod subdit *Ab aquilone aurum veniet*, quasi dicat: in regione aquilonari aurum magis abundat. Et sicut in tenebris septentrionis invenitur fulgor auri, ita etiam inter tenebras ignorantiae huius vitae invenitur aliqua licet obscura refulgentia divinae cognitionis, unde subdit *et a Deo formidolosa laudatio:* si enim nihil divinae lucis in nobis fulgeret, nullatenus eum laudare possemus; rursus si fulgeret nobis divina veritas manifeste sicut in meridie, eum secure laudaremus, sed quia in nostra cum quadam obscuritate nobis aliquid de divina luce fulget, cum formidine ipsum laudamus, sicut cum formidine homo facit illud quod scit se perfecte facere non posse, unde subdit *Digne eum invenire non possumus*, ut scilicet per nostram inventionem perveniamus ad eum cognoscendum sicuti est; quod quidem ex eius excellentia contingit, unde subdit *magnus fortitudine*, quia scilicet eius virtus in infinitum excedit omnes suos effectus, unde ex eis inveniri digne non potest. Et ne credatur propter virtutis magnitudinem sola violentia uti in hominum gubernatione, subdit *et iudicio*, scilicet magnus est, quia scilicet «incomprehensibilia sunt iudicia eius»; nec hoc est propter iustitiae defectum sed propter excellentem iustitiam, unde subdit *et iustitia*, scilicet magnus est. Et propter suam magnitudinem nec mente cogitare nec ore sufficienter de eo loqui possumus, unde subdit *et enarrari non potest*, scilicet digne ab homine. Et haec est causa quare est eius laudatio formidolosa, unde subdit *Ideo timebunt eum viri*, scilicet quantumcumque fortes, propter fortitudinis magnitudinem, *et non audebunt contemplari*, quasi praesumentes ad plenum cognoscere, *omnes qui sibi videntur esse sapientes:* et hoc signanter dicit quia sapientia hominis, quantacumque eis vel aliis videatur, divinae sapientiae comparata quasi nihil est.

Est autem considerandum ex praemissis Eliud verbis quod partim cum Iob conveniebat, partim cum amicis eius: in hoc enim conveniebat cum Iob quod credebat remunerationem bonorum futuram post hanc vitam et punitionem malorum, cum amicis autem Iob conveniebat in hoc quod credebat omnes adversitates praesentis vitae pro peccatis provenire, de quibus si quis paeniteat ad prosperitatem redibit. Conveniebat etiam cum amicis Iob quantum

307 <non> *suppl. cum* V^1 γ^1 Va π] *om. cet.* 327 involvatur (*scil.* amicus Dei)] —vantur F Sv R —vamur V^2 γ^1 δ(-R) π 348 in nostra (*scil.* luce *vel* cognitione)] *om.* F in terra β^1 mente *add.* γ^1 π quasi *add.* R cognitione *add.* Pd 367 causa] ratio F δ ratio vel *praem.* π

321 Cap. XXXVI[33]. 333 tenebrosa: cf. Albertus *De nat. locorum* tr. 1 c. 8. 336 calore...generationem: sec. theoriam aristotelicam de antiperistasi, cf. *I Meteora* 14 (347 b 6) et 15 (348 b 2) cum expos. Thomae; simili modo exponit Albertus *Super Iob* XXXVII[22] (cf. Praef. § 23). 361 Rom. XI[33]. 377 cum Iob: cap. VII et XIV[14]; credebat: cap. XXXII[22]. 379 cum amicis: Eliphaz cap. IV[7] et V[6], Baldath cap. VIII[4] et XVIII[4], Sophar cap. XX[4]; credebat: cap. XXXIII[27]. 383 cum amicis: Eliphaz cap. IV[17], Baldath cap. XXV[4], Sophar cap. XI[6]; putabat: cap. XXXVI[13].

ad personam ipsius Iob, quia putabat eum pro peccato punitum et quod iustitia quae in eo primitus videbatur fuerit simulata. Verba etiam Iob prave accipiebat sicut et alii. Circa prosperitatem malorum in hoc mundo solus tangit hanc causam quod prosperantur pro peccatis aliorum; similiter etiam solus manifeste tangere videtur angelos esse medios inter Deum et homines.

Iob autem verbis eius non respondet, primo quidem quia in principalibus dogmatibus cum eo concordabat, in quibus amici eius errabant, quos supra XIII[4] vocaverat «perversorum dogmatum cultores». Quid autem de sua persona sentiret Eliud, non tantum cura erat ei quod propter hoc cum Eliud vellet contendere, praesertim quia puritatem conscientiae suae non aliter quam supra poterat probare, scilicet divino testimonio; secundo quia ex iuvenili quadam praesumptione, more contentiosorum, Iob imponebat verba quae non dixerat vel quae aliter dixerat quam ipse acciperet: et ideo ut se a contentionibus separaret decrevit magis esse silendum et divino iudicio committendum.

396 tantum] tamen F Sv V[1] V[2] Va 402 dixerat[2]] –rit F N dixit δ π 405 committendum] convincendum N V[2] δ comutandum Sv

386 prave accipiebat: e.g. cap. XXXIII[10]; sicut et alii: Eliphaz cap. XXII[1], Baldath cap. VIII[2] et XVIII[4], Sophar cap. XI[4]. 389 pro peccatis aliorum: cap. XXXIV[30]. 390 medios: cap. XXXIII[23]. 399 supra: cap. XIII[10], cf. cap. 32 31.

CAPITULUM XXXVIII

[1] Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit: [2] Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? [3] Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te et responde mihi.

Respondens autem Dominus Iob de turbine etc. Praemissa disputatione Iob et amicorum eius de providentia divina, Eliud sibi vices determinantis assumpserat, in quibusdam redarguens Iob, in quibusdam autem amicos ipsius; sed quia humana sapientia non sufficit ad veritatem divinae providentiae comprehendendam, necessarium fuit ut praedicta disputatio divina auctoritate determinaretur; sed quia Iob circa divinam providentiam recte sentiebat, in modo autem loquendi excesserat intantum quod in aliorum cordibus exinde scandalum proveniret dum putabant eum Deo debitam reverentiam non exhibere, ideo Dominus, tamquam quaestionis determinator, et amicos Iob redarguit de hoc quod non recte sentiebant, et ipsum Iob de inordinato modo loquendi, et Eliud de inconvenienti determinatione; unde dicitur *Respondens autem Dominus Iob*, quia scilicet propter eum ista responsio fiebat quamvis non fuerit ipse immediate ante locutus. Modum autem respondendi ostendit subdens *de turbine*, quod quidem potest et ad litteram intelligi ut dicatur formatam esse vocem Dei miraculose in aere cum quadam aeris turbatione, sicut in monte Sinai factum legitur Exodi XX[18], vel sicut ad Christum vox facta est quando quidam dixerunt «tonitruum factum esse», ut legitur Ioh. XII[29]; vel potest intelligi ut sit metaphorice dictum, ut haec responsio Domini sit inspiratio interior divinitus facta ipsi Iob, et sic dicitur Dominus ei *de turbine* respondisse tum propter turbationem quam adhuc patiebatur, tum etiam propter turbinis obscuritatem, quia scilicet divinam inspirationem in hac vita non possumus clare percipere sed cum quadam obumbratione sensibilium similitudinum, ut Dionysius dicit I cap. Caelestis hierarchiae; et hoc etiam significavit Dominus si de turbine corporali vocem suam sensibiliter fecit audiri.

Determinata autem disputatione quasi per sententiam iudicii, nihil ultra restat dicendum nisi determinationis sententia reprobetur, et ideo Dominus primo improbavit determinationem disputationis quam Eliud fecerat; improbat autem eam quia veras sententias quas proposuerat involverat multis falsis et frivolis verbis, unde sequitur *dixit: Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* Sententias quidem Eliud dixerat arguendo Iob de hoc quod dixerat se velle disputare cum Deo et de hoc quod intantum se iustum dixerat quod quasi videbatur iustitiae divini iudicii derogare, sed istas sententias involverat multis praesumptuosis et etiam falsis sermonibus, ut ex supra dictis patet, qui hic dicuntur sermones imperiti quia omnis inordinatio ex defectu rationis procedere videtur.

Sic igitur exclusa determinatione Eliud Dominus ipse incipit determinare disputationem, et primo excitat Iob ad attendendum cum dicit *Accinge sicut vir lumbos tuos*, quod metaphorice dicitur: homines enim solent lumbos praecingere ad hoc quod sint prompti ad iter vel ad quamlibet actionem, unde volebat Dominus eum esse promptum ad considerandum quae ei dicebantur, remotis quibuslibet impedimentis, unde signanter de praecinctione lumborum facit mentionem, quia per lumbos voluptas carnalis intelligitur quae praecipue impedit spiritualem auditum, secundum illud Is. XXVIII[9] «Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus».

Primo autem incipit in sua determinatione Iob arguere de hoc quod praesumptuose videbatur esse locutus dum Deum ad disputandum provocaret; et quia supra XIII[22] videtur Deo dedisse duorum optionem cum dixit «Voca me et respondebo tibi, aut certe loquar et tu responde mihi», quia Iob iam satis locutus fuerat, Dominus quasi alteram partem eligit cum subdit *interrogabo te et responde mihi*, quae quidem interrogatio Dei non est ut addiscat

11 in aliorum] malorum N Sv δ π 15 sentiebant] —bat N Sv V² 21 et *om.* F V¹ V² R 28 Domini] dictum N V² dicta Sv dei δ¹ π 36 si] scilicet F N Sv V¹ Va *om.* δ¹ 72 respondebo] ego *praem.* N Sv δ¹ π

2 disputatione: cf. supra cap. 32 2. 14 amicos Iob: cap. XLII[7]; ipsum Iob: infra vers. 3; Eliud: infra vers. 2. 34 § 2 et 3 (PG 3,121; Dion. 733 et 735). 46 arguendo: cap. XXXIII[13], XXXIV[5], XXXV[2]. 51 ex supra dictis: e.g. cap. 34 96, cap. 37 401. 63 per lumbos: cf. supra cap. 16 177 nota. 64 praecipue impedit: cf. supra cap. 31 28 nota.

[4] Ubi eras quando ponebam fundamenta terrae? Indica mihi, si habes intelligentiam, [5] quis posuit mensuras eius, si nosti, vel quis tetendit super eam lineam; [6] super quo bases illius fundatae sunt, aut quis demisit lapidem angularem eius, [7] cum me laudarent singula astra matutina,

sed ut hominem de sua ignorantia convincat. Interrogat autem ipsum de suis effectibus qui humanis sensibus praesto sunt, quos cum homo ignorare ostenditur multo magis convincitur sublimiorum scientiam non habere; inter alios autem sensibiles effectus incipit interrogare de principalibus partibus mundi, inter quas terra est nobis notior utpote propinquior, de qua interrogare incipiens dicit *Ubi eras quando ponebam fundamenta terrae?* Recte fundamento terram comparat quia sicut fundamentum est infima aedificii pars, ita etiam terra est infimum corporum quod subiacet omnibus. Et quia terra est praecipue materia humani corporis, materia autem tempore praecedit id quod ex ea fit, et multo magis ratio artificis qui materiam condidit, ideo signanter dicit *Ubi eras quando ponebam fundamenta terrae?*, ac si dicat: cognoscere rationem fundationis terrae non potes, quia cum terra fundata est nondum eras in rerum natura.

Est autem considerandum quod quidam antiquorum situm terrae et aliorum elementorum non attribuerunt alicui rationi ordinanti sed necessitati materiae, secundum quod gravia levibus succident; ut autem haec opinio excludatur, Dominus consequenter comparat fundationem terrae fundationi aedificii quae fit secundum aedificatoris rationes: et similiter fundatio terrae facta est secundum providentiam divinam quam humana intelligentia comprehendere non valet, et hoc significat cum subdit *Indica mihi, si habes intelligentiam*, quasi dicat: ideo horum rationem indicare non potes quia ad haec capienda intelligentia tua non sufficit. Est autem considerandum quod artifex in aedificii fundatione quatuor disponit: primo quidem quantum debeat esse fundamentum, et similiter divina ratione dispositum est quod tanta debeat esse quantitas terrae, et non maior vel minor, et quantum ad hoc subdit *quis posuit mensuras eius*, scilicet secundum omnes dimensiones; et signanter dicit *posuit:* non enim species terrae ex necessitate talem quantitatem requirit, sed haec quantitas est terrae imposita ex sola ratione divina, quam homo cognoscere non potest, et ideo subdit *si nosti*, quia scilicet hoc homo nec nosse nec indicare potest. Secundo artifex per suam rationem disponit determinatum situm fundamenti, quem comprehendit per extensionem lineae mensuralis, unde subdit *vel quis tetendit super eam lineam*, per quam scilicet significatur ratio divinae dispositionis designans determinatum situm terrae in partibus universi. Tertio excogitata quantitate fundamenti et ubi collocandum sit, disponit artifex in quo possit fundamentum firmiter collocari, et quantum ad hoc subdit *super quo bases illius*, scilicet terrae, *fundatae sunt*, quia fundata est super centrum mundi. Quarto autem praedictis tribus excogitatis, artifex iam incipit iacere lapides in fundamentum, et primo lapidem angularem ad quem diversi parietes congregantur, et quantum ad hoc subdit *aut quis demisit*, idest deorsum misit, *lapidem angularem eius*, per quem scilicet significatur ipsum centrum terrae cui diversae partes terrae conectuntur.

Solet autem homo fundamentum aedificii collocare propter necessitatem habitationis, sed ut ostendatur Deus non ex indigentia fundamenta terrae iecisse, subiungit *cum me laudarent singula astra matutina*, quasi dicat: quamvis adesset mihi habitatio caeli cuius astra me laudant, terram tamen fundavi, non ex indigentia famulantium qui eam inhabitarent sed ex sola voluntate. Non autem hoc dicitur quasi caelum prius sit factum quam terra, praesertim cum in Genesi legitur «in principio Deum creasse caelum et terram», astra autem de quibus hic fit mentio leguntur facta fuisse quarta die, sed hoc dicitur ad ostendendum quod ordine naturae caelum et astra priora sunt terra sicut incorruptibile corruptibili et movens moto. Dicit autem *astra matutina*, idest de novo condita, sicut apud nos astra matutina dicuntur quae in principio diei solent apparere. Quod autem dicuntur astra matutina Deum laudare potest uno modo intelligi materialiter, in-

99 succident] subcident F succedent Sv subcedent V^1 succederent F^3 succedunt Va subsident $\delta^1 \pi$ 102 rationes] —ni V^1 —nem F^2 V^2 γ^1 Pd π —nis R 105 cum] simul *add.* (*praem.* R) V^2 δ 130 fundatae] —dati Sv solidate *cum Vulg.* Pd π vel solidate *add.* sVa 130 super] supra F V^1 V^2 135 demisit] dimisit Sv F^2 V^2 γ^1 Pd 141 singula] *om.* F^3 simul *cum Vulg.* δ(-R) π 147 cum in] in F N Sv V^2 Va cum δ^1 π legitur] legatur F^2 γ^1 δ^1 π

85 Recte fundamento...: cf. ipse Thomas *Super Hebr.* 1[10]; simile habet Hugo de S. Charo ibid. (ed. Venetiis 1754, t. VII, f. 240ra). 96 quidam antiquorum: cf. Thomas *Super II Phys.* 15 (200 a 1). 130 centrum mundi: cf. Arist. *II De caelo* 26 (296 b 6 et 21). 147 Gen. 1[1]. 149 quarta die: Gen. 1[14]. 153 de novo condita: cf. Gregor *XXVIII Moral.* cap. 14 (PL 76,467 D).

et iubilarent omnes filii Dei. [8] Quis conclusit ostiis mare? Quando erumpebat quasi de vulva procedens, [9] cum poneret nubem vestimentum eius, et caligine illud quasi pannis infantiae obvolverem. [10] Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem et ostia, [11] et dixi: Hucusque venies et non procedes amplius et hic confringes tumentes fluctus tuos.

quantum scilicet propter sui claritatem et nobilitatem erant materia divinae laudis, etsi non hominibus qui adhuc non erant, saltem angelis qui iam erant; <alio modo> secundum illos qui dicunt corpora caelestia animata, astra in suae institutionis initio Deum laudabant non laude vocali sed mentali; quod etiam potest referri ad angelos quorum ministerio caelestia corpora moventur, ut quod subditur *et iubilarent omnes filii Dei* referatur ad angelos supremae hierarchiae, quos Dionysius dicit esse collocatos in vestibulis deitatis: et ideo signanter illis tamquam inferioribus laudem, istis autem tamquam superioribus attribuit iubilationem quae excellentiam quandam laudis importat.

Praemisso igitur de fundatione terrae subiungit consequenter de aquis quae immediate superponuntur terrae; videtur autem naturalis ordo elementorum requirere ut aqua ex omni parte circumdaret terram sicut aer ex omni parte circumdat terram et aquam, sed divina dispositione factum est ad generationem hominum, animalium et plantarum ut aliqua pars terrae discooperta remaneret ab aquis, Deo sua virtute aquas maris sub certis limitibus retinente, unde subdit *Quis conclusit ostiis mare*, idest certis terminis? Fuerunt autem aliqui qui putaverunt per actionem solis aliquam partem terrae exsiccatam esse, sed Dominus ostendit hoc a principio ita fuisse dispositum ut mare non undique terram operiret. Describit autem productionem maris sub similitudine nativitatis rei viventis, scilicet pueri, quia aqua est maxime formabilis in res vivas, unde et omnium semina humida sunt; puer autem primo quidem de utero matris egreditur, et hoc significat cum dicit *Quando erumpebat quasi de vulva procedens*. Utitur autem in productione maris verbo erumpendi, quia scilicet proprium est aquae quasi continue moveri; dicitur autem *quasi de vulva* procedere non quod ortum habuerit ex alia materia corporali, sed quia ex occulto divinae providentiae procedebat quasi ex utero quodam. Secundo autem puer natus induitur, et quantum ad hoc subdit *cum poneret nubem vestimentum eius:* quia enim nubes ex vaporibus resolutis ex aqua generantur, consequens est ut in locis maritimis huiusmodi nubes magis multiplicentur. Tertio autem puer natus quibusdam fasciis involvitur, et quantum ad hoc subdit *et caligine illud quasi pannis infantiae obvolverem;* et possunt per caliginem designari vapores non elevati neque condensati in nubes sed super maris superficiem aerem obscurantes, et forte alludit ei quod dicitur Gen. 1[2] quod «tenebrae erant super faciem abyssi».

His igitur positis quae pertinent ad novam maris productionem, explicat eius conclusionem ac si dicat: quando mare de novo factum est, tunc *circumdedi illud terminis meis;* et videtur tria ponere pertinentia ad conclusionem maris, quorum primum significatur cum dicit *terminis meis*, idest a me positis, secundum significatur cum dicit *et posui vectem*, tertium cum dicit *et ostia*. Haec autem tria pertinent ad imperium divinae virtutis, unde quasi exponens praedicta subdit *et dixi: Hucusque venies*, quod pertinet ad rationem terminorum, nam terminus est ultimum motus, *et non procedes amplius*, quod scilicet pertinet ad vectem <quo> processus alicuius impeditur, *et hic confringes tumentes fluctus tuos*, quod pertinet ad ostia quae ad hoc ponuntur quod aliquis non passim egrediatur aut ingrediatur sed secundum certam regulam: ita etiam mare non passim transgreditur litus sed secundum quandam mensuram fluctuum intumescentium.

Post terram autem et aquas ulterius procedit ad aerem qui secundum aspectum caelo continuatur;

160 <alio modo> *suppl.*] *om. codd.* 164 ut quod] unde F Sv pPd ut N ut cum As sPd π 165 referatur] ut hoc *praem.* F 168 autem *om.* F Sv β^1 (*def.* R) 186 sub similitudine] ad similitudinem β^1 γ^1 189 quidem *om.* F N π 194 habuerit] habuit γ^1 δ 197 poneret] ponere V^1 ponerem *cum Vulg.* γ^1 δ(-R) π ponent R 220 <quo> *suppl. cum* Sv] *om.* N V^1 V^2 Va per quam F^2 per quem γ^1 δ^1 π (*def.* F)

158 materia divinae laudis: cf. Ioh. Damasc. *II De fide* cap. 6 (PG 94,885; Bt 83) sec. Thomam *De spir. creat.* a. 6 ad 14. 159 iam erant: cf. August. *XI De civ. Dei* cap. 9 (PL 41,324); ipse Thomas *De subst. separ.* cap. 16 (al. 17). 160 qui dicunt: e. g. Pythagorici ut infra lin. 651; cf. Thomas *I Pars* q. 70 a. 3. 163 quorum ministerio: cf. supra cap. 26 155 nota. 166 *De cael. hier.* cap. 7 § 2 (PG 3,208 A; Dion. 844) ut refert Thomas *I Pars* q. 108 a. 1. 173 naturalis ordo elementorum: cf. supra cap. 5 208 nota. 181 aliqui: Anaxagoras et Diogenes sec. Thomam *Super II Meteora* 1 (353 b 5); cf. Alexander Aphrodis. ibid.: 'huius autem opinionis fuerunt, ut narrat Theophrastos, Anaximandros et Diogenes' (ms. Vatic. Ottob. lat. 2165, f. 12va). 187 maxime formabilis: cf. Arist. *III De gen. animal.* cap. 11 (761 a 32); item lib. IV c. 2 (767 a 31); ipse Thomas *III Pars* q. 66 a. 3. 188 humida: cf. Arist. *I Metaph.* 4 (983 b 26). 198 ex vaporibus: cf. Arist. *II Meteora* 7 (359 b 27) ut refert Thomas *Super II Sent.* d. 13 a. 4 arg. 5. 219 ultimum motus: cf. Arist. *V Metaph.* 19 (1022 a 5).

[12] Numquid post ortum tuum praecepisti diluculo, et ostendisti aurorae locum suum? [13] Numquid tenuisti concutiens extrema terrae, et excussisti impios ex ea? [14] Restituetur ut lutum signaculum et stabit sicut vestimentum. [15] Auferetur ab impiis lux sua et brachium excelsum confringetur. [16] Numquid ingressus es profundum maris,

prima autem dispositio communis ad totum corpus quod superiacet aquae et terrae est variatio noctis et diei, quae fiunt secundum motum diurnum qui est primus motuum, et ideo consequenter dicit *Numquid post ortum tuum praecepisti diluculo?*, quasi dicat: numquid ex praecepto tuo alternantur nox et dies super terram? Diluculum enim est quoddam confinium diei et noctis. Et signanter dicit *Numquid post ortum tuum*, sicut et supra quando de terra loquebatur dixerat «Ubi eras?», quia sicut terra est principaliter materiale principium hominis, ita etiam supremum caelum, quod suo motu variat diem et noctem, est principale principium humani corporis inter causas corporales. Est autem considerandum quod claritas diluculi sive aurorae diversificatur secundum diversas partes elevationis signorum quae sol perambulat, quia quando est in signo velocis ascensionis, quo scilicet cito oritur, parum durat aurora, quando autem est sol in signo tardae ascensionis amplius durat; et est determinata mensura loci ex quo, sole ibi existente, incipit claritas diluculi apparere, et hoc est quod subdit *et ostendisti aurorae locum suum?*, quasi dicat: numquid tu dispensasti loca in caelo ex quibus aurora illucescat? Quasi dicat 'non'. Et ex his omnibus datur intelligi quod tua ratio deficit a comprehensione divinorum operum, unde patet quod tu non es idoneus ad disputandum cum Deo.

Numquid tenuisti concutiens etc. Postquam Dominus connumeravit principales partes creaturae corporalis, scilicet terram, mare et caelum, hic incipit prosequi mirabilia divinorum operum quae in dispositione praedictarum trium partium mundi apparent. Et incipit a terra in qua praecipue admirandum apparet quod accidit circa terraemotum, de quo metaphorice loquitur ad similitudinem hominis qui tenens corpus aliquod concutit ipsum, unde dicit *Numquid tenuisti*, idest virtute tua comprehendisti, *concutiens extrema terrae?*, quod non est sic intelligendum quasi tota terra simul concutiatur in terraemotu, sed quia aliquae extremitates terrae concutiuntur. Omnia vero quae accidunt in corporali creatura in utilitatem hominum redundant: terraemotus autem et alia huiusmodi terribilia utilia sunt ad hoc quod homines territi a peccatis desistant, unde subdit *<et> excussisti impios ex ea?*, et loquitur ad similitudinem hominis qui concutit vestimentum ut ex eo excutiat pulverem seu tineam: ita etiam Deus videtur concutere terram ut excutiat peccatores ex ea, quandoque quidem per mortem, quandoque autem per emendationem vitae.

Solet autem in terraemotu contingere quod aliqua aperte recluduntur, sicut parietes vel aliquid huiusmodi, et quantum ad hoc subdit *Restituetur ut lutum signaculum:* lutum enim quando dividitur de facili ad eandem dispositionem reintegratur, ita etiam aliquod signaculum, puta in pariete vel in quocumque alio huiusmodi, quod videbatur immutatum per apertionem parietis, quandoque divina virtute restituitur in pristinum statum. Contingit etiam quandoque quod turres et arbores et alia huiusmodi per terraemotum concutiuntur et non cadunt, et quantum ad hoc subdit *et stabit sicut vestimentum*, quod scilicet si concutiatur pristinam integritatem non perdit. Contingit autem quandoque e contrario quod homines vel absorpti terra vel etiam oppressi parietibus per terraemotum cadentibus moriuntur, et quantum ad hoc subdit *Auferetur ab impiis lux sua*, scilicet per mortem. Contingit etiam quandoque quod munitiones et turres fortissimae per terraemotum deiciuntur, et quantum ad hoc subdit *et brachium excelsum confringetur*, idest aliqua fortissima munitio vel aliquis potens amicus in quo homo confidit sicut in suo brachio.

His igitur praemissis de terraemotu et de effectibus eius, procedit ad dispositionem medii elementi, scilicet maris, in quo videntur hominibus occulta et mirabilia, primo quidem ea quae sunt in profundo maris, puta piscium dispositiones in mari viventium, et quantum ad hoc dicit *Numquid ingressus es profundum maris*, ut scilicet cognosceres animalia quae in eo latent? Aliud autem quod in mari videtur occultum et admirandum est dispositio

231 diurnum] diuturnum N β^1 V^2 F^2 Va divinum pPd 246 quo] quod F V^2 γ^1 sR que V^1 in quo Pd π (*def.* F^2 pR) 261 praedictarum] —orum F N V^1 V^2 *om.* F^2 274 <et> *suppl. cum Vulg.* γ^1 sVa sPd] *om. cet.* ex *scrips. cum Vulg.* γ^1 Va (*cf. lin.* 278)] ab *cet.* 301 vel] etiam *add.* β^1 V^2 γ^1 δ π 310 animalia] et alia N Sv V^2 ipsum et alia β^1 illa Va

232 primus motuum: cf. Thomas *Super VIII Phys.* 23 (267 b 6). 238 Vers. 4. 239 materiale principium: cf. Gen. II[7]; vide supra lin. 88. 240 supremum caelum...corporales: cf. infra lin. 326. 271 utilitatem hominum: cf. supra cap. 37 112 nota.

et in novissimis abyssi deambulasti? [17] Numquid apertae sunt tibi portae mortis et ostia tenebrosa vidisti? [18] Numquid considerasti latitudinem terrae? Indica mihi, si nosti omnia, [19] in qua via lux habitet et tenebrarum quis locus sit,

terrae sub aquis maris existentis, et quantum ad hoc subdit *et in novissimis abyssi deambulasti*, idest in infimis partibus eius?

Post dispositionem autem terrae et maris procedit ad dispositionem caeli sub quo etiam continetur aer, et in hoc latius immoratur propter multa mirabilia quae in eo apparent; et primo incipit a dispositione lucis et tenebrarum quae communiter respicit totum superius corpus. Est autem considerandum quod corpora caelestia per suam lucem agunt in ista inferiora, eo quod lux est quasi qualitas activa caelestium corporum, sicut calor et frigus elementorum, et ideo effectus caelestium corporum in istis inferioribus coniungit cum consideratione lucis et tenebrarum. Inter alios autem effectus caelestium corporum in istis inferioribus communior est generatio et corruptio, et ab hoc incipit dicens *Numquid apertae sunt tibi portae mortis?* Mors enim est corruptio corporis viventis, et sic proprie ad hominem pertinet cui praesens sermo dirigitur; portae autem mortis sunt causae corruptionis quantum ad virtutes caelestium corporum, per quas primo proceditur ad talem effectum; est autem difficillimum cognoscere quis sit periodus vitae et permanentiae cuiuslibet rei, et ideo portae mortis nobis apertae non sunt quia non possumus in corporibus caelestibus cognoscere propriam causam corruptionis cuiusque rei. Morti autem competit tenebra, tum quia per mortem homo privatur corporali visu cuius cognitio est per lumen, tum etiam quia homo post mortem in oblivionem quasi in tenebras quasdam vadit, et ideo subdit *et ostia tenebrosa vidisti?*, ut intelligatur idem appellare ostia tenebrosa propter proprietatem mortis, quod prius appellaverat portas mortis; vel hoc quod dicit *ostia tenebrosa* potest referri ad alium effectum caelestium corporum qui est obtenebratio aeris, ut sic hoc quod dixit de portis mortis referatur ad sola viventia corpora, quod autem dixit de ostiis tenebrosis ad corpora perspicua.

Subdit autem de diversitate caloris et frigoris circa terram, dicens *Numquid considerasti latitudinem terrae?*, ubi considerandum quod secundum astrologos longitudo terrae attenditur secundum progressum ab oriente in occidentem, latitudo autem eius attenditur a meridie in septentrionem, eo quod in qualibet re maior dimensio vocatur longitudo, minor autem dimensio vocatur latitudo; est autem experimento probatum quod dimensio terrae a nobis habitatae maior est ab oriente usque in occidentem quam a meridie usque in septentrionem, unde latitudo terrae accipitur secundum progressum a meridie usque in septentrionem, in quo quidem progressu diversitas caloris et frigoris <est>, quia quanto magis appropinquatur ad meridiem in nostro habitabili tanto locus calidior est propter solis propinquitatem: unde quod de latitudine terrae dicitur potest referri ad diversitatem locorum calidorum et frigidorum.

His ergo praemissis quae pertinent ad effectum caelestis lucis in his inferioribus, facit mentionem de ipsa luce cum subdit *Indica mihi, si nosti omnia*, ut scilicet sis idoneus ad disputandum cum Deo qui omnia novit, *in qua via lux habitet;* ubi considerandum est quod lux in luminaribus mundi invenitur, quae propter hoc luminaria dicuntur quia sunt luminis vasa; sed quia via ad motum refertur, quaestio de via in qua lux habitet refertur ad luminarium motum; excedit autem humanam cognitionem qualiter luminaria moveantur, quod ostenditur ex diversis opinionibus hominum circa motus eorum, dum quidam asserunt ea moveri per excentricos et epicyclos, quidam autem per motus diversarum sphaerarum. Et sicut lux ex motu luminarium causatur prout in superiori hemisphaerio moventur, ita etiam tenebrae procedunt ex motu eorum prout moventur in hemisphaerio inferiori, quod etiam habet eandem difficultatem, unde subdit *et tenebrarum quis locus sit*. Non potest autem perfecte mensurari motus alicuius corporis nisi via per quam ambulat

314 in *om.* F N Sv δ^1 365 <est> *suppl. cum* F Pd π] *ante* diversitas V^1 sAs *ante* caloris F^2 *om. cet.* 371 effectum] —tus N Sv δ π 375 habitet *scripsi. cum Vulg. et* F^2 (*cf. lin.* 379)] habitaret V^1 habitat *cet.*

321 per suam lucem: cf. Averroes *De subst. orbis* cap. 2 (9,8 A) ut refert Thomas *Super IV Sent.* d. 48 q. 1 a. 4 qc. 2 arg. a. 322 qualitas activa: cf. Thomas *I Pars* q. 67 a. 3 et *Super II De anima* 14 (418 b 20). 327 generatio et corruptio: cf. Arist. *II De gen. et corr.* cap. 10 (336 a 16) ut refert Thomas *I Pars* q. 115 a. 3 ad 2. 354-359 astrologos...latitudo: cf. Albertus *II De caelo* tr. 1 c. 6 et *De nat. locorum* tr. 1 c. 9; ipse Thomas *Super II De caelo* 3 (285 b 11). 360 experimento probatum: cf. Arist. *II Meteora* 10 (362 b 19). 378 luminis vasa: cf. Ioh. Damasc. *II De fide* cap. 7 (PG 94,888; Bt 86). 383 quidam: Ptolomaeus sec. Thomam *Super II Sent.* d. 14 expos. textus, *I Pars* q. 70 a. 1 ad 3; cf. *XIII Almagestum* cap. 2 (ms. Vat. lat. 2056 f. 89r). 384 quidam: Arist. sec. Thomam l. c.; cf. *II De caelo* 11 (289 b 30).

[20] ut ducas unumquodque ad terminos suos et intelligas semitas domus eius. [21] Sciebas tunc quod nasciturus esses, et numerum dierum tuorum noveras? [22] Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti? [23] Quae praeparavi in tempus hostis, in diem pugnae et belli. [24] Per quam viam spargitur lux, dividitur aestus super terram? [25] Quis dedit vehementissimo imbri cursum, et viam sonantis tonitrui?

cognoscatur, quia magnitudo mensuratur motu et motus magnitudine, ut dicit Philosophus in IV Physicorum, et ideo quia per certitudinem via motus luminarium cognosci non potest ab homine, consequens est quod nec mensura motuum eorum perfecte sciri possit, unde subdit *ut ducas unumquodque*, scilicet lucem et tenebras, *ad terminos suos*, ostendendo scilicet rationem apparitionis et occultationis uniuscuiusque luminarium quantum ad principium et finem; et etiam quantum ad medium, ad quod pertinet quod subdit *et intelligas semitas domus eius*, scilicet lucis: quando enim in meridie circa summum caeli movetur, tunc quasi perambulat semitas domus suae; termini autem eius sunt apud ortum et occasum.

Secundum autem motus caelestium corporum mensurantur durationes inferiorum corporum et tempora generationis et corruptionis, ut Dionysius dicit IV cap. De divinis nominibus, et ideo ignoratis illis causis consequens est ut hi effectus ignorentur, et ideo subdit *Sciebas tunc quod nasciturus esses?*, quasi dicat: numquid praenoscere potuisti per considerationem motus caeli tempus tuae nativitatis? Et tu quidem hoc non potuisti quia antequam nascereris non eras; sed nec alius homo hoc praenoscere potuit propter debilitatem cognitionis humanae: loquitur enim Deus ad Iob in persona omnium hominum. Et sicut non potuisti praenoscere tempus nativitatis tuae ita non potes praenoscere terminum vitae tuae, unde subdit *et numerum dierum tuorum noveras?*, quasi dicat: cognoscere hoc non potes ex computatione caelestium motuum, quorum certam mensuram ignoras.

His autem propositis quae pertinent ad immutationem lucis et tenebrarum, procedit ad diversas immutationes aeris secundum quod aer variatur per tempestatem et serenitatem, et incipit a nive et grandine dicens *Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti?* Thesauros nivis et grandinis vocat vapores sursum elevatos ex quibus nives et grandines generantur; sed quia grandines grossioris substantiae sunt et in loco magis propinquo nobis generantur, frigore ad interiora nubis expulso a circumstante calore, ideo circa grandines facit mentionem de visu quia magis visui subici possunt, circa nives autem de ingressu quia magis propter eorum tenuitatem possunt penetrari. Huiusmodi autem quandoque Deus utitur ad hominum correctionem, sicut supra XXXVI[21] habitum est «Per haec iudicat populos», unde subdit *Quae praeparavi in tempus hostis*, idest in tempus quo est ultio sumenda de hostibus; contra quos Deus his utitur quasi bellicis armis, unde subdit *in diem pugnae*, idest actualis conflictus, *et belli*, idest guerrae in qua fit praeparatio ad pugnam.

Finita autem tempestate nivis et grandinis, subsequitur serenitas in qua claritas et calor aeris praeparatur, unde subdit *Per quam viam spargitur lux*, quod pertinet ad claritatem, *dividitur aestus super terram?*, quod pertinet ad calorem. Ubi considerandum quod supra, ubi de luce loquebatur quantum ad ipsa luminaria in quibus habitat, fecit mentionem solum de via eius, quia scilicet lux per motum luminarium viam suam peragit sive sit tempestas sive serenitas, sed ad nos ex ea non pervenit claritas et calor nisi tempestate cessante; non autem sensibiliter diversificatur claritatis intentio in diversis terris cum aer fuerit serenus, sensibiliter autem diversificatur intentio caloris, et ideo lucem spargi dixit quasi indifferenter effusam, aestum autem dividi quasi pro diversitate locorum diversimode distributum.

Consequenter autem procedit ad effectus quosdam ventorum in aere, ex quibus dum pluvia impellitur causatur imber, unde dicit *Quis dedit vehementissimo imbri cursum?:* est enim vehementia cursus imbris ex forti impulsu ventorum quos divina virtus producit. Similiter autem dum ex ventis nubes impelluntur causatur sonus tonitrui, propter quod non auditur huiusmodi sonus in uno loco, scilicet quasi alicuius corporis transeuntis, unde subdit *et viam sonantis tonitrui?* Subdit autem rationem quare pluviae et nubes a ventis impellantur, cum dicit *Ut*

418 Deus] dominus N Sv δ π dominus *post* Iob γ^1 460 intentio] incensus F^2 incensu V^1 V^2 accensio γ^1 473 ventis] ventibus F N V^2

393 *IV. Phys.* 19 (220 b 28). 409 § 4 (PG 3,697 B; Dion. 159). 432 nives et grandines: cf. Arist. *I Meteora* 15 (347 b 12). 433 in loco magis propinquo: cf. ibid. (348 a 29); frigore...expulso: cf. ibid. (348 b 16). 452 supra: vers. 19. 460 intentio caloris: cf. supra lin. 365. 469 sonus tonitrui: cf. supra cap. 36 317 nota.

[26] Ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur, [27] ut impleret inviam et desolatam et produceret herbas virentes. [28] Quis est pluviae pater, vel quis genuit stillas roris? [29] De cuius utero egressa est glacies, et gelu de caelo quis genuit? [30] In similitudinem lapidis aquae durantur et superficies abyssi constringitur. [31] Numquid coniungere valebis micantes stellas Pliades, aut gyrum Arcturi poteris dissipare?

plueret super terram absque homine in deserto, quod scilicet habitari non potest propter terrae ariditatem: vapores autem pluviosi elevantur maxime ex locis humidis, unde si nubes et pluviae non impellerentur a ventis sequeretur quod numquam in locis siccis plueret. Contingit autem quandoque quod aliqua loca humana industria irrigantur, idest cessantibus pluviis, sed hoc ibi accidere non potest, unde subdit *ubi nullus mortalium commoratur*, et sic illi terrae per humanam industriam provideri non potest. Et propter hoc Deus ordinavit ut ventis impellerentur nubes et pluviae ut etiam in locis desertis plueret, unde subdit *ut impleret*, scilicet pluviis, *inviam*, idest terram per quam nec transire potest homo, *et desolatam*, idest destitutam humana procuratione; *et* sic sola procuratione divina *produceret herbas virentes*, scilicet ad decorem terrae et ad pastum animalium silvestrium quae etiam divina providentia procurantur.

Consequenter autem facit mentionem de pluviis absque vento cum dicit *Quis est pluviae pater?*, idest efficiens causa non ex necessitate sed ex ordine providentiae quae convenit patri: a Deo enim movetur sol et alia caelestia corpora quae sunt proxima causa efficiens generationis pluviarum. Ros autem ex eadem causa generatur ex qua et pluvia, nec differt nisi secundum multitudinem et paucitatem materiae, unde subdit *vel quis genuit stillas roris?*: signanter stillas nominat ad designandum parvitatem guttarum. Est autem considerandum quod sicut pluviae congelatae sunt nives, ita ros congelatus est pruina, unde subdit *De cuius utero egressa est glacies?* Ubi notandum est quod glaciei causa est frigus quae est qualitas feminina, pluviarum autem et roris causa est calor resolvens et non permittens congelari vaporem: calor autem est qualitas masculina, et ideo signanter circa generationem pluviae et roris usus est nomine patris, circa generationem autem glaciei usus est nomine uteri qui pertinet ad matrem. Ex frigore autem duplex glacies causatur: una quidem in aere, quod pertinet ad pruinam de caelo cadentem, unde subdit *et gelu de caelo quis genuit?*, quod adhuc attribuit patri quia non apparet tanta virtus frigoris in pruina sicut in ulteriori glacie; alia vero est glacies quae generatur in inferioribus aquis, in qua maior vis frigoris apparet, unde subdit *In similitudinem lapidis aquae durantur*, scilicet per vehemens frigus in glaciem condensatae, et hoc quandoque intantum procedit quod in frigidissimis terris etiam maria congelantur, et hoc est quod subditur *et superficies abyssi constringitur*, scilicet aqua quae est in eius superficie per frigus condensata: non autem frigus aeris irrumpere potest usque ad maris profundum.

His ergo enarratis de variis mutationibus aeris, procedit ulterius ad immutabiles immutationes caelestium corporum, circa quae primo in stellis fixis consideratur immobilitas figurae, quia quaelibet earum conservat situm suum ita quod una alteri non appropinquat magis vel minus; et hoc praecipue apparet in stellis vicinis quae numquam coniunguntur, unde subdit *Numquid coniungere valebis micantes stellas Pliades?* Stellae Pliades dicuntur quaedam stellae quae lucent in capite Tauri, quarum sex apparent valde propinquae, septima autem obscurior. Secundo consideratur in caelestibus corporibus uniformitas primi motus, quo revolvitur totum caelum et omnes stellae in eo semel in die et nocte super polos mundi; hic autem motus sensibilius percipitur ex stellis propinquis polo septentrionali, quae sunt nobis perpetuae apparentiae propter elevationem poli super nostrum horizontem, inter quas stellas maxime notatur constellatio Arcturi, qui est Ursa maior, cuius stellae manifeste apparent uniformiter moveri in gyro circa polum mundi, et quantum ad hoc subdit *aut gyrum Arcturi poteris dissipare*, ut scilicet non circueat polum? Tertio admirabilis apparet in caelestibus corporibus motus

488 destitutam] —ta F N Sv V² *post* procuratione F² 504 sunt] fiunt Sv $\beta^1 \gamma^1 \pi$ 546 notatur *scripsit cum* F π] vocatur *cet.*

498 causa efficiens...: cf. Arist. *I Meteora* 14 (346 b 20). 499 nec differt...: cf. ibid. 15 (347 b 17). 504 nives...pruina: cf. ibid. (347 b 23). 507-510 qualitas feminina...masculina: cf. Arist. IV *De gen. animal.* cap. 6 (775 a 6 et 14). 508 calor resolvens: cf. Arist. *I Meteora* 14 (347 a 16). 523 in frigidissimis terris: cf. Albertus *De nat. locorum* tr. 1 c. 8. 531 immobilitas figurae: cf. Ioh. de Sacrobosco *De sphaera* cap. 1 (ed. Thorndike, Chicago 1949, p. 80); Thomas *Super II De caelo* 9 (288 b 7). 537 in capite Tauri: cf. Isid. *III Etymol.* cap. 71 (PL 82,180 A) ubi tamen legitur 'ante genua Tauri'. 540 primi motus: cf. supra lin. 232 nota. 542-545 hic autem motus...horizontem: cf. Ioh. de Sacrobosco ut supra lin. 531 nota; Thomas *Super II De caelo* 28 (297 b 30). 546 Arcturi: cf. supra cap. 9 240 nota.

[32] Numquid produces Luciferum in tempore suo, et Vesperum super filios terrae consurgere facis? [33] Numquid nosti ordinem caeli, et pones rationem eorum in terra? [34] Numquid elevabis in nebula vocem tuam, et impetus aquarum operiet te? [35] Numquid mittes fulgura et ibunt, et revertentia dicent tibi: Adsumus? [36] Quis posuit in visceribus hominis sapientiam,

planetarum, in quo cum sit omnino uniformis quaedam irregularitas ad sensum videtur, et hoc maxime deprehendi potest in stella Veneris quae quandoque oritur ante solem et tunc vocatur Lucifer, quandoque autem occidit post solem et tunc vocatur Vesperus. Manifestum est autem quod stellae quae semper sunt tardioris motus quam sol incipiunt primo apparere in mane ante ortum solis, eo quod sol suo proprio motu quo movetur ab occidente in orientem deserit eas, sicut patet in Saturno, Iove et Marte; luna autem quae habet velociorem motum quam sol semper incipit apparere in sero quasi deserens solem et praecedens ipsum versus orientem; Venus autem et Mercurius quandoque incipiunt apparere de mane, quandoque autem de sero, sed de Mercurio quia raro videtur et est parvae quantitatis non ita est manifestum; in Venere autem omnibus apparet, unde manifestum est quod quandoque habet velociorem motum quam sol, quandoque tardiorem. Ex quo manifeste apparet irregularitas in motu planetarum, et ad hoc designandum subdit *Numquid produces Luciferum*, idest Venerem mane apparentem, *in tempore suo*, idest in determinato tempore, quia haec diversitas semper certo contingit; *et Vesperum*, idest eandem Venerem sero apparentem, *super filios terrae consurgere facis?* Et notandum est quod per hoc quod dicit *produces* et *consurgere facis* designatur nova apparitio stellae. Quarto autem admirabilis videtur in caelestibus corporibus ordo, situs et motus ipsorum, unde dicit *Numquid nosti ordinem caeli*, qui scilicet ab homine comprehendi non potest? Quintum autem admirabile est dispositio inferiorum corporum secundum superiora, et quantum ad hoc subdit *et pones rationem eorum in terra*, ut scilicet cognoscas effectus proprios singularum causarum caelestium?

Praedicti autem effectus divinae virtutis maximi quidem sunt, non tamen in eis apprehenditur a multitudine vulgi ita magnitudo virtutis divinae sicut in tonitruo et fulgure, et ideo istos effectus ultimo ponit; unde quantum ad tonitruum dicit *Numquid elevabis in nebula vocem tuam?:* tonitruum enim generatur in nube, cuius sonitus videtur quasi vox Dei. Post tonitrua autem ut plurimum pluviae magnae subsequuntur propter condensationem nubium ex commotione ventorum ex quibus tonitruum causatur, unde subdit *et impetus aquarum operiet te?:* videtur enim multitudo pluviae quasi Deum operire inquantum nobis occultatur caelum quod dicitur sedes Dei. Consequenter subiungit de fulgure dicens *Numquid mittes fulgura*, idest numquid per tuam virtutem erit motus eorum? *Et ibunt*, quasi scilicet oboediant tuo imperio? Solent autem motus fulgurum repercuti ab uno loco in alium, et hoc designat subdens *et revertentia dicent tibi: Adsumus*, quasi in sua reversione parata esse ut iterum oboediant divino imperio, ut ad alium locum mittantur? Haec autem omnia inducuntur ad ostendendum quod homo non potest attingere neque ad sapientiam neque ad virtutem divinam.

Quis posuit in visceribus hominis sapientiam? Postquam Dominus commemoravit mirabilia suorum effectuum quantum ad principales partes mundi, quae sunt terra, mare et caelum, et quantum ad dispositiones eorum, nunc accedit ad enarrandum mirabilia suorum operum specialiter quantum ad diversas proprietates animalium. Inter quas praepollet cognitio, quae quidem perfectius in homine quam in ceteris animalibus invenitur, et ideo ab homine incipiens dicit *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam?* Per viscera hominis intelliguntur intimae vires animae ipsius, scilicet intellectus et ratio, quibus Deus sapientiam indidit inquantum lumen rationis homini dedit: quaedam <enim> seminaria sapientiae et scientiae naturaliter indidit rationi ipsius in cognitione primorum principiorum. In aliis autem animalibus multa indicia apparent naturalis cuiusdam prudentiae, sed praecipue hoc manifestatur in gallo quasi in animali noto et domestico, unde dicit

564 et *om.* N Sv V^2 γ^1 Va 575 certo] tertio (*ante* semper F) F Sv V^2 *om.* γ^1 sPd π tractus Va sero pPd 585 eorum] eius *cum Vulg.* F γ^1 Pd π 603 scilicet] si N Sv β^1 609 homo *om.* β^1 γ^1 625 <enim> *suppl.*] *om. codd.* 627 in[1] *om.* δ(-R) π 627 cognitione] generatione F pernitione N participatione Sv precognitione β^1 cognitionem δ(-R) π

554 stella Veneris: cf. Tullius *II De nat. deorum* cap. 20. 557-570 stellae...tardiorem: cf. Albertus *II De caelo* tr. 3 c. 11. 594 in nube: cf. supra cap. 36 317 nota. 601 sedes Dei: cf. Is. LXVI[1]. 625 seminaria: cf. Petrus Lomb. *Glossa super Hebr.* 1^2 (PL 192,404 A) ut refert Thomas *De virt. in comm.* a. 8 arg. 15; vide etiam supra cap. 10 260 nota.

aut quis dedit gallo intelligentiam? [37] Quis enarravit caelorum rationem, et concentum caeli quis dormire faciet? [38] Quando fundabatur pulvis in terra et glebae compingebantur. [39] Numquid capies leaenae praedam, et animam catulorum eius implebis, [40] quando cubant in antris et in specubus insidiantur? [41] Quis praeparat corvo escam suam quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes eo quod non habeant cibos?

aut quis dedit gallo intelligentiam? Intelligentia hic sumitur pro naturali quadam aestimatione secundum quam ad modum intelligentis operatur, quia ipsa eius naturalis aestimatio ab intellectu divino ei datur. In hoc autem videtur gallus quandam intelligentiae similitudinem habere quod determinatis horis in cantum prorumpit ac si cognosceret proportiones caelestium motuum, unde subdit *Quis enarravit*, scilicet gallo, *caelorum rationem*, idest proportionem caelestium motuum ut possit ex hoc determinatas horas discernere ad cantandum? Solent autem vigiles quodam cantu aut alicuius instrumenti sono propinquitatem diei declarare et certarum horarum noctis; non autem potest dici quod aliquis sonitus caeli determinatis temporibus audiatur et aliis temporibus sileat ut ex hoc gallus discernat ad cantandum, unde subdit *et concentum caeli quis dormire faciet?*, quasi dicat: concentus caeli non silet sicut vigilis dormientis ut ex eius auditu vel silentio possit gallus instrui ad cantandum. Considerandum autem est hic quod ex motu caelorum Pictagorici posuerunt sonitum harmonizatum provenire propter convenientissimam proportionem caelestium motuum, et quia ponebant corpora caelestia animata ideo talis consonantia sonorum possit concentus caeli vocari; sed Aristotiles probat in II De caelo quod ex motu caelestium corporum nullus sonitus procedit, et ideo hic concentum accipere possumus metaphorice positum pro sola convenientia caelestium motuum qui numquam requiescunt. Huiusmodi autem inspiratio sapientiae vel intelligentiae aut etiam concentus caeli ab initio fundationis terrae fuit, unde subdit *Quando fundabatur pulvis in terra*, quod refertur ad situm terrae quae in imo ponitur sicut in fundamento, *et glebae compingebantur*, quod refertur ad humorem continentem in unum partes terrae, ne scilicet terra propter sui siccitatem in pulverem resolvatur.

Deinde accedit ad aliam proprietatem animalium quae attenditur secundum acquisitionem nutrimenti, circa quam admirabile aliquid apparet in leaena: cum enim leo multo cibo indigeat, mirabile videtur quomodo in aliqua regione tantum potest de praeda animalium capere quod sibi sufficiat et filiis suis, unde subdit *Numquid capies leaenae praedam?*, idest numquid tantam abundantiam praedae ei praeparabis ut habeat sufficienter sibi et filiis suis, unde subdit *et animam catulorum eius implebis?* Hoc autem non videtur multum difficile quando per diversa loca discurrunt sed quando in eodem loco manent, vel propter necessitatem nutritionis filiorum, ad quod pertinet quod dicit *quando cubant in antris*, vel quia insidiantur aliis animalibus: *et in specubus insidiantur*, scilicet animalibus capiendis.

Apparet etiam aliquid mirabile in avibus circa corvum: dicitur enim quod « corvus pullos ovis eductos non pascit donec suos esse deprehendens plumis nigrescere viderit », unde septem diebus eis cibos non ministrat sed a Deo sustentantur per naturalem virtutem eis inditam, unde subdit *Quis praeparat corvo escam suam quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes*, idest huc et illuc prospicientes, *eo quod non habeant cibos*, quasi a parentibus derelicti? Hoc autem non est intelligendum quasi pulli corvorum Deum cognoscant, sed hoc dicitur quia quaelibet res naturalis suo desiderio, in hoc ipso quod aliquod bonum appetit, quasi intendit aliquid a Deo acquirere qui est auctor bonorum.

655 possit] posset β^1 γ^1 sVa π potest Pd 680 manent *scripsi. cum* Sv γ^1 Va] manet *cet.* 683 et] et etiam F V^2 unde subdit *praem.* F^2 et hoc est quod subdit *praem.* sPd 686 ovis] eius Sv β^1 V^2 γ^1 pR ovis eius sR suos Pd π 690 praeparat] parat F N

651 Pictagorici: cf. Arist. *II De caelo* 14 (291 a 7). 656 *II De caelo* 14 (290 b 12). 664 in imo: cf. supra lin. 85 nota. 686-689 Thomas Cantimpr. *V De nat. rerum* (ms. f. 88ra).

CAPITULUM XXXIX

[1] Numquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parientes cervas observasti? [2] Dinumerasti menses conceptus earum, et scisti tempus partus earum? [3] Incurvantur ad fetum et pariunt et rugitus emittunt. [4] Separantur filii earum et pergunt ad pastum, egrediuntur et non revertuntur ad eas.

Numquid nosti tempus partus ibicum? Commemoraverat Dominus in praecedentibus id quod pertinet ad vim cognoscitivam, loquens de sapientia hominis et intelligentia galli; commemoraverat etiam de praeda leonum et esca corvorum, quae pertinent ad vim nutritivam; nunc autem commemorat quaedam pertinentia ad vim generativam, et incipit agere de partu ibicum et cervarum in quibus aliquid occultum esse videtur. Ibices enim sunt quaedam animalia parva corpore quae in locis petrosis habitant, in quibus et pariunt: unde ad huiusmodi loca non de facili patet hominibus accessus, propter quod dicit *Numquid nosti tempus partus ibicum in petris?*, quasi dicat: hoc hominibus est ignotum propter asperitatem locorum in quibus pariunt. Cervae autem, ut dicitur, eligunt loca occulta in quibus pariant, ubi lupi accedere non solent, et ideo ad ostendendum occultationem partus ipsarum subdit *vel parientes cervas observasti?*, quod dicitur ad divinae providentiae commendationem: mulieres enim cum pariunt indigent obstetricum obsequio, sed animalibus quorum partus homines latet Deus sua providentia exhibet auxilium quod est eis necessarium ad pariendum, inquantum scilicet dat eis industriam naturalem ut cognoscant ea quae sunt in talibus cognoscenda, quorum primum est quod sciatur spatium temporis quo fetus in utero perficitur, et quantum ad hoc dicit *Dinumerasti menses conceptus earum*, ut scilicet eis indicares quando se deberent praeparare ad partum? Unde subdit *et scisti tempus partus earum*, ut scilicet eis indicares quando parere deberent? In his enim solent mulieres puerperae ab aliis instrui, sed animalia, quae etiam sunt longe a conversatione humana, per naturalem industriam eis divinitus inditam haec cognoscunt et determinato tempore se praeparant ad partum eo modo quo facilius possit partus emitti, unde subdit *Incurvantur ad fetum*, scilicet emittendum, *et pariunt*, scilicet per se ipsas instruente natura; et tamen partus non est eis delectabilis sed poenosus, unde subdit *et rugitus emittunt*, scilicet propter dolorem quem pariendo patiuntur. Et sicut matres naturali industria se praeparant ad partum, ita etiam et filii naturali industria divinitus indita sibi necessaria conquirunt, unde subdit *Separantur filii earum*, quod dicit ad differentiam fetus humani, nam puer mox natus non potest se movere ut discedat a matre, quod tamen in praedictis animalibus contingit: statim enim postquam nascuntur moventur, et primus eorum motus est ad escam quaerendam, unde subdit *et pergunt ad pastum*. Sed tamen in principio indigent pasci lacte matris, unde sic a matre separantur quod tamen ad eam redeunt, postmodum vero cum perfecti fuerint totaliter separantur a matribus, unde et subdit *egrediuntur et non revertuntur ad eas*, quia scilicet ulterius ab eis lactari non indigent.

His autem praemissis quae pertinent ad speciales quasdam animalium proprietates, pertinentibus scilicet ad cognitionem, escam et partum, commemorat ea quae pertinent ad totam conversationem vitae. Circa quam primo mirabile apparet quod quaedam animalia dum sunt domestica sustentari non possunt absque hominis cura, inveniuntur tamen aliqua ad illud genus pertinentia quae sunt silvestria et absque hominum providentia gubernantur; et hoc maxime mirabile apparet in asino qui cum est domesticus totaliter videtur humanae servituti deputatus, a qua tamen servitute asini silvestres qui onagri dicuntur liberi esse apparent, unde dicit *Quis dimisit onagrum*, idest asinum silvestrem, *liberum*, scilicet ab hominum servitute? Quod quidem

5 leonum] leonis β^1 γ^1 18 ipsarum] ipsorum F β^1 19 parientes] parturientes F γ^1 δ(-R) π perites R 30 deberent] debent N Sv γ^1 (*def.* F Va) 48 contingit] non *praem.* Sv β^1 V^3 Va 58 His] in hiis F β^1

3 sapientia...galli: cap. XXXVIII[26]. 5 praeda...corvorum: cap. XXXVIII[39,41]. 9 Ibices: cf. Gregor. *XXX Moral.* cap. 10 (PL 76,543 D). 16 Cervae: cf. Thomas Cantimpr. *IV De nat. rerum* (ms. f. 56rb). 69 asini silvestres: cf. supra cap. 11 196 nota.

5 Quis dimisit onagrum liberum, et vincula eius quis solvit? 6 Cui dedi in solitudine domum, et tabernacula eius in terra salsuginis. 7 Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit. 8 Circumspicit montes pascuae suae, et virentia quaeque perquirit. 9 Numquid volet rinoceros servire tibi, aut morabitur ad praesepe tuum? 10 Numquid alligabis loro tuo rinoceronta ad arandum, aut confringet glebas vallium post te? 11 Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius et derelinques ei labores tuos? 12 Numquid credes ei quod reddet sementem tibi et aream tuam congreget?

dicitur secundum quod id quod consuetum est apprehenditur ab hominibus quasi naturale, unde quia consueti sunt homines non videre asinos nisi servituti subiectos, videtur eis quod sint naturaliter servi, et ideo si aliquando inveniantur liberi videtur eis quod sint a servitute dimissi; e contrario autem se habet, nam prius fuerunt huiusmodi animalia homini non subiecta per modum quo nunc sunt, postmodum autem humano artificio sunt domita et hominum servitiis deputata. Signa autem servitutis asinorum sunt vincula quibus ligantur, sicut camus vel aliquid huiusmodi, et quantum ad hoc subdit *et vincula eius quis solvit?:* onagri enim huiusmodi vinculis carent. Apparet etiam in asinis domesticis quod pereunt si remaneant absque habitaculis ab hominibus praeparatis, sed onagri habent sibi per divinam providentiam habitaculum praeparatum, unde subdit *Cui dedi in solitudine*, scilicet ad quam homo non accedit, *domum*, puta aliquod antrum vel cavernam quamcumque, *et tabernacula eius*, puta scilicet sub herbis aut arboribus, *in terra salsuginis*, idest in aliqua terra inhabitata propter siccitatem et solis exustionem, ex qua humor eius quasi in saporem salis convertitur. Et quamvis huiusmodi habitatio videatur incultior et horridior propter solitudinem, tamen eam praefert quantumcumque nobili civitati, unde subdit *Contemnit multitudinem civitatis*, scilicet in comparatione ad habitationem deserti. Et assignat duplicem rationem, quarum prima est quia ibi non exiguntur ab eo laboriosa opera, unde subdit *clamorem exactoris non audit*, idest domini exigentis ab eo portationem onerum vel aliquid huiusmodi; alia ratio est quia ibi liberius evagatur ad pastum quaerendum, unde subdit *Circumspicit montes pascuae suae*, quia scilicet patet ei liber aditus ad diversa loca pro pascuis quaerendis, et ipsa etiam pascua pro suo libitu accipit, unde subdit *et virentia quaeque perquirit:* asinis autem domesticis non dantur optima pascua sed interdum viliora, melioribus pascuis nobilioribus animalibus reservatis.

Sicut autem asinus servit homini ad onera deferenda, loco cuius in silvestribus invenitur onager, ita etiam servit homini inter domestica animalia bos ad arandum propter suam fortitudinem, cui comparat inter silvestria rinocerontem, idest unicornem, quod est animal quadrupes valde forte et ferum, habens unum cornu in media fronte; hoc autem animal propter sui feritatem non de facili potest domari sicut bos domatur, unde subdit *Numquid volet rinoceros*, idest unicornis, *servire tibi*, ut scilicet domesticatus sponte tibi oboediat? Animalia autem domesticata cibum libenter ab hominibus capiunt, ad quod excludendum subdit *aut morabitur ad praesepe tuum*, ut scilicet paratus sit comedere quod a te ei offertur? Boves autem domesticati ad hoc nutriuntur ut ministerio arationis applicentur, et ad hoc excludendum subdit *Numquid alligabis loro tuo rinoceronta*, idest unicornem, *ad arandum*, sicut scilicet aratur in bobus? Utuntur etiam homines bobus ad aliud ministerium, ut scilicet trahentes quoddam rastrum terram aratam complanent glebam comminuendo, unde subdit *aut confringet glebas vallium*, quae scilicet solent diligentius excoli propter maiorem fecunditatem, *post te*, idest postquam terram araveris? Vel *post te*, idest ut te praecedente ille sequatur glebas confringens? Dimittuntur etiam quaedam animalia fortia ad agrorum custodiam contra latrones vel animalia quae possent segetes devastare, sicut custodiuntur agri per aliquos canes feroces, sed hoc per unicornem fieri non potest quia non domesticatur, unde subdit *Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius et derelinques ei labores tuos*, idest fructus agrorum ad custodiendum? Sic ergo non potes hoc fortissimo animali uti nec sicut bove ad arandum nec sicut cane ad custodiendum. Similiter etiam non potes eo uti sicut forti agricola ad fructus terrae procurandos, unde subdit *Numquid credes ei quod reddet sementem tibi et aream tuam congreget?*, sicut scilicet facit operarius qui semen a domino susceptum serit et multiplicatum

82 servitiis] servitutis V^1 servituti F^2 γ^1 servitus R
112 nobilioribus] melioribus F β^1 γ^1 nobilibus Pd π *om.* Va
120 feritatem] ferocitatem N V^2 δ fortitudinem Sv π
124 domesticata] –tica F Sv F^2 As δ^1 *om.* π

73 consuetum...naturale: cf. Arist. *De memoria* 6 (452 a 27).
117 unicornem: cf. Isid. *XII Etymol.* cap. 2 (PL 82,435).

[13] Penna strutionis similis est pennis herodii et accipitris. [14] Quae derelinquit in terra ova sua, tu forsitan in pulvere calefacies ea? [15] Obliviscitur quod pes conculcet ea aut bestia agri conterat. [16] Duratur ad filios suos quasi non sint sui: frustra laboravit, nullo timore cogente. [17] Privavit enim Deus eam sapientia nec dedit illi intelligentiam. [18] Cum tempus fuerit in altum alas erigit: deridet equitem et ascensorem eius. [19] Numquid praebebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum?

reddit, segetes congregando in aream et post triturām in horreum domini reportando.

His igitur positis in quibus quaedam animalia silvestria a domesticis diversificantur, subdit quasdam proprietates quorundam animalium in quibus videntur ab omnibus aliis animalibus quaedam proprietates diversae. Et hoc praecipue apparet in strutione qui est avis quaedam appropinquans ad genus bestiarum, unde licet habeat pennas ad modum animalium alte volantium, non tamen per eas se potest in altum elevare, unde dicit *Penna strutionis similis est pennis herodii*, idest nobilissimi falconis qui gir-falcus dicitur, *et accipitris*, qui est avis nota, et ambae sunt aves boni volatus. Est autem et alia proprietas strutionis diversa ab aliis avibus, quod scilicet sua ova non fovet sed fodiens in arena ea dimittit et operit sabulo, unde subdit *Quae derelinquit in terra ova sua*. Habet autem hanc naturalem industriam quod observat tempus calidum, scilicet quando incipiunt stellae apparere quae dicuntur Virgiliae, scilicet in mense Iulii, et tunc parit ova, et sic ex calore temporis et loci, quia scilicet non moratur nisi in locis calidis, ova vivificantur et ex eis pulli nascuntur, unde subdit *tu forsitan in pulvere calefacies ea?*, quasi dicat 'non', sed hoc agitur providentia divina per quam etiam ova in pulvere conservantur illaesa. Strutio enim est naturaliter animal obliviosum et nullam curam adhibet de conservatione ovorum, unde subdit *Obliviscitur quod pes*, scilicet hominis transeuntis per viam, *conculcet ea*, scilicet ova, *aut bestia agri conterat*, vel casu pertranseundo vel propter appetitum cibi. Et sicut non habet curam de conservatione ovorum ita non habet curam de nutritione pullorum, unde subdit *Duratur ad filios suos quasi non sint sui*, quia scilicet nullam curam habet de nutritione eorum, et ita quantum in se est perdit fructum generationis, unde subdit *frustra laboravit*, scilicet concipiendo et conceptum portando, ex quo filios non nutrit; contingit etiam quandoque quod etiam alia animalia fetus suos deserunt propter timorem, sed strutio hoc facit *nullo timore cogente*. Facit autem hoc etsi non propter timorem tamen propter defectum naturalis industriae quam circa hoc alia animalia habent, unde subdit *Privavit enim Deus eam*, scilicet feminam strutionis, *sapientia*, scilicet ad ordinate nutriendum et gubernandum fetum, *nec dedit illi intelligentiam*, per quam scilicet sollicitudinem habeat de pullis suis: sapientiam autem et intelligentiam nominat industriam naturalem. Et quia supra dixerat quod habet pennas similes pennis herodii et accipitris, consequenter ostendit ad quid ei huiusmodi pennae prosint dicens *Cum tempus fuerit*, idest cum aliqua necessitas velocitatis motus sibi immineat, *in altum alas erigit*, ita tamen quod per alas corpus eius sursum elevari non potest, sed per eas iuvatur ad velociter currendum, unde subdit *deridet equitem*, quia scilicet velocius currit quam equus hominem deferens, *et ascensorem eius*, scilicet equi, quia scilicet velocius curreret quam homo si suis pedibus iret.

Sicut autem strutio habet quasdam proprietates a pluribus animalibus diversas quibus ab aliis deficit, ita etiam equus habet quasdam proprietates ad nobilitatem pertinentes quibus ab aliis animalibus differt. Primo autem equi fortitudinem commemorat cum dicit *Numquid praebebis equo fortitudinem*, scilicet non solum corporis prout est potens ad onus ferendum, sed etiam animi prout audacter ad pericula vadit? Aliam autem proprietatem eius commemorat, quod scilicet ex exteriori ornatu ad libidinem provocatur: dicitur enim de equis quod iubarum decore ad coitum agitantur et «iubis tonsis eorum libido extinguitur», ad quod significandum subdit *aut circumdabis collo eius hinnitum?* Solent enim equi hinnire propter libidinem, secundum illud Ier. v[8] «Equi amatores in feminas et emissarii facti sunt,

153 aream *scripsi. cum* γ^1 δ^1 π] orrea F V^1 hoream N horrea F^2 V^2 orreum Sv Va 163 Penna] pennas pN V^1 V^2 173 Virgiliae *scripsi. cum* F sR sPd π] vigiligie pR virgule pPd virgiligie *cet.* 209 quia *scripsi. cum* As sR Pd π] qui *add.* V^1 quis pR qui *cet.* 214 deficit] differt γ^1 sPd π differunt Va deseruit pR (*def.* N β^1 pPd) 224 eorum] earum N β^1 V^2 F^2 (*def.* δ^1) 226 hinnitum] ignitum N Sv β^1 V^2 *lac.* F^2 227 hinnire] ignire N Sv β^1 V^2 hinture F^2

160 appropinquans ad genus bestiarum: cf. Thomas Cantimpr. *V De nat. rerum* (ms. f. 104va). 164 nobilissimi falconis...: cf. ibid. (ms. f. 90vb et 92ra). 165 avis nota: cf. ibid. (ms. f. 92rb). 166-176 proprietas strutionis: cf. ibid. (ms. f. 104rb). 180 animal obliviosum: cf. ibid. 202 supra: vers. 13. 209 velocius currit...: cf. Thomas Cantimpr. l. c. (ms. f. 104va). 224 Ibid. lib. IV (ms. f. 60rb).

[20] Numquid suscitabis eum quasi locustas? Gloria narium eius terror: [21] terram ungula fodit, exultat, audacter in occursum pergit armatis. [22] Contemnit pavorem nec cedit gladio. [23] Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta et clipeus; [24] fervens et fremens sorbet terram, nec reputat tubae sonare clangorem. [25] Ubi audierit bucinam, dicit: Vah! Procul odoratur bellum, exhortationem ducum et ululatum exercitus. [26] Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter expandens alas suas ad austrum? [27] Numquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila?

unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat»; ergo hinnitus collo equi a Deo circumdatur quando iubae ei dantur a Deo, ex quarum consideratione ad libidinem provocatur. Est autem et alia equi proprietas quod vehementer salit contra morem multorum quadrupedum, unde subdit *Numquid suscitabis eum*, scilicet elevando in altum, *quasi locustas*, quae scilicet saliendo moventur?

Alia vero proprietas equi est audacia ipsius in bellis, quam diffusius describit quia est nobilis et admiranda, et primo manifestatur eius audacia quando adhuc odoratu bellum percipit a remotis, unde sequitur *Gloria narium eius terror*, idest bellum quod est aliis ad terrorem, naribus ab equo perceptum est equo ad gloriam, idest ad quandam animi magnitudinem; et huius signum statim in eo apparet, de quo subditur *terram ungula fodit*, quasi praeparans se ad pugnandum. Ex hoc autem quod bellum percipit interius gaudet, unde subdit *exultat*, scilicet percepta opportunitate pugnandi, et hoc per effectum ostendit cum subdit *audacter in occursum pergit armatis*. Nec in ipso proelio existens terrore deicitur, unde subdit *Contemnit pavorem*, et quod est amplius, etiam vulnerum dolore non repellitur, unde subdit *nec cedit gladio*. Solent autem plura animalium ex solo strepitu terreri, sed hoc equo non accidit, unde subdit *Super ipsum sonabit pharetra*, scilicet plena sagittis, dum concutitur ad motum militis equo insidentis; similiter etiam ex hasta et clipeo militis sonus aliquis procedit, unde subdit *vibrabit hasta*, idest hasta dum vibratur sonum emittit; similiter clipeus dum movetur et ad arma colliditur sonum facit, unde subdit *et clipeus*, scilicet sonat; sed tamen ad hunc sonitum equus non stupescit, unde subdit *fervens*, scilicet interius per audaciam, *et fremens*, scilicet hinnitu, quem fremitum nominat, qui est proprie leonum, propter equi audaciam; et non solum voce interiorem fervorem animi monstrat sed etiam exteriori actu, unde subdit *sorbet terram*, idest videtur eam sorbere pedibus fodiendo. Et non solum non obstupescit sonitu pharetrae, hastae et clipei, sed nec etiam sono tubae qua utuntur in bellis, unde subdit *nec reputat tubae sonare clangorem*, ut scilicet propter hoc obstupescat; quin immo gaudere dicitur ad sonum bucinae, unde subdit *Ubi audierit bucinam dicit: Vah!* idest emittit exultationis vocem, nam vah! est interiectio exultantis. Et quia haec quae praedicta sunt pertinent ad equi audaciam, subiungit de perspicacitate ipsius dicens *Procul odoratur bellum*, idest cum adhuc hostes sunt procul, odoratu percipit bellum imminere et quasi videtur sentire belli praeparationem, dum scilicet duces suis exhortationibus animant milites, et quantum ad hoc subdit *exhortationem ducum*, scilicet percipit, *et ululatum*, idest confusum clamorem et strepitum, *exercitus*, scilicet praeparantis se ad bellum.

His autem praemissis de animalibus quae gradiuntur in terra, accedit ad animalia quae volant in aere, et primo commemorat naturalem industriam accipitris qui tempore mutationis pennarum expandit alas suas ad austrum, qui est ventus calidus, ut apertis poris veteres pennae decidant et novae renascantur, unde dicit *Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter*, scilicet quando pennae eius renovantur, *expandens alas suas ad austrum*, ut scilicet facilius pennas mutet? Ultimo autem loquitur de aquila «quae ceteris avibus altius volat», unde dicit *Numquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila*, scilicet sicut ad meum? Facit enim hoc aquila naturali instinctu: omnis autem naturalis cursus rerum est quaedam motio creaturae ad praeceptum Dei, secundum illud Psalmi «Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt verbum eius». Et sicut aquila habet motum in altum ita etiam et in altis conversatur, quod pertinet ad nobilitatem suae

229 hinniebat] igniebat N Sv β^1 V^2 (*def.* γ^1) 257 insidentis] incidentis F N V^2 274 dicit] dicitur N V^2 dicet β^1 Va dicunt R 277 perspicacitate] perspicuitate N Sv perspicicitate V^2 prosperitate β^1 δ(-Pd) 289 qui] que N Sv V^2 As R 295 mutet] unites N immutet β^1 δ^1 π uniret Va 303 et *om.* N Sv β^1 δ^1 π

265 proprie leonum: cf. Prov. XIX[12]. 273 gaudere dicitur...: cf. Thomas Cantimpr. *IV De nat. rerum* (ms. f. 60ra). 275 interiectio exultantis: cf. Isid. *I Etymol.* cap. 14 (PL 82,89 A). 289 accipitris: cf. Thomas Cantimpr. *V De nat. rerum* (ms. f. 84rb). 296 *Glossa ordin.* super Ioh., Prolog. ps.-August., cf. PL 35,1377. 301 Ps. CXLVIII[8].

Et in arduis ponet nidum suum, [28] in petris manet, et in praeruptis silicibus commoratur atque inaccessibilibus rupibus. [29]Inde contemplatur escam, et oculi eius de longe prospiciunt. [30] Pulli eius lambunt sanguinem, et ubicumque cadaver fuerit statim adest. [31] Adiecit Dominus et locutus est ad Iob: [32] Numquid qui contendit cum Deo tam facile conquiescit? Utique qui arguit Deum debet et respondere illi. [33] Respondens autem Iob Domino dixit: [34] Qui leviter locutus sum respondere quid possum? Manum meam ponam super os meum; [35] unum locutus sum quod utinam non dixissem, et alterum, quibus ultra non addam.

naturae, et ideo dicit *Et in arduis ponet nidum suum*, ut scilicet pulli eius statim nati consuescant in altis morari, et ideo subdit *in petris manet*, quasi gaudens aeris puritate eo quod in locis petrosis non sit multa vaporum resolutio; *et in praeruptis silicibus commoratur*, ad quas scilicet noxiis bestiis non patet accessus, *atque inaccessibilibus* homini *rupibus*, per quod scilicet eius securitati providetur. Habet autem aquila visum valde acutum ut possit ex longinquo videre necessarium cibum, unde subdit *Inde*, scilicet de locis altis, *contemplatur escam*, scilicet non solum propinquam sed etiam remotam, unde subdit *et oculi eius de longe prospiciunt*. Est autem et aquila potens in praeda sicut et leo inter quadrupedia, et ad hoc designandum subdit *Pulli eius lambunt sanguinem*, scilicet animalium viventium quae aquila ad nidum defert. Pascitur autem aquila non solum animalibus vivis sicut falcones et accipitres, sed etiam cadaveribus animalium mortuorum, unde subdit *et ubicumque cadaver fuerit statim adest*, per quod etiam velocitatem volatus eius designat.

Haec autem omnia sunt inducta ad ostendendum magnitudinem divinae sapientiae et virtutis per quam tam mirabiles effectus producuntur: unde datur intelligi quod Iob auditis tot mirabilibus divinorum effectuum stupens siluit; sed Dominus eum excitat ad considerandum quod homo non est idoneus ad disputandum cum Deo, unde subditur *Adiecit Dominus*, scilicet super verba praemissa, *et locutus est ad Iob*, eo scilicet tacente: *Numquid qui contendit cum Deo*, idest qui offert se disputaturum cum eo, *tam facile conquiescit*, scilicet quasi sit superatus sicut tu qui taces? *Utique qui arguit Deum*, quasi de eius iudiciis disputans, *debet et respondere illi:* iustum est enim ut qui alium ad disputandum provocat, etiam ipse paratus sit respondere.

Et ne videretur Iob, licet convictus, in sua sententia obstinatus permanere, in verba humilitatis prorumpit, unde sequitur *Respondens autem Iob Domino dixit: Qui leviter locutus sum respondere quid possum?* Ubi considerandum est quod Iob coram Deo et sua conscientia loquens non de falsitate locutionis aut de superba intentione se accusat, quia ex puritate animi fuerat locutus, sed a levitate sermonis: quia scilicet etiam si non ex superbia animi locutus fuerat, verba tamen eius arrogantiam sapere videbantur, unde amici eius occasionem scandali sumpserant; oportet autem vitare non solum mala sed etiam ea quae habent speciem mali, secundum Apostolum I ad Thess. v[22] «Ab omni specie mala abstinete vos», et ideo subdit *Manum meam ponam super os meum*, ut scilicet ad similia verba de cetero non prorumpam; et de his quae dixi paeniteo, unde subdit *unum locutus sum quod utinam non dixissem*, scilicet quod dixi me velle disputare cum Deo, *et alterum*, scilicet quod meam iustitiam praetuli dum de divinis iudiciis ageretur. Tertium autem quod ei Eliud imposuerat, ut scilicet diceret iudicium Dei esse iniustum, non recognoscit, quia hoc non pertineret ad levitatem locutionis sed ad blasphemiam. Sic autem de leviter dictis paenitet quod emendationem proponit, unde subdit *quibus ultra non addam*, ut scilicet alias verba levia proferam.

Est autem considerandum quod si praedicta locutio Domini ad Iob non fuit per exteriorem sonum prolata sed interius inspirata, Iob tripliciter in hoc libro invenitur fuisse locutus: primo quidem quasi repraesentans affectum sensualitatis in prima conquestione cum dixit «Pereat dies», secundo exprimens deliberationem rationis humanae dum contra amicos disputaret, tertio secundum inspirationem divinam dum ex persona Domini verba induxit; et quia humana ratio dirigi debet secundum inspirationem divinam, post verba Domini, verba quae secundum rationem humanam dixerat reprehendit.

305 ponet] ponit N β^1 V^a Va 310 quas] quos Sv γ^1 π (*ab hinc cod.* Sv *denuo testatur cum* γ; *cf. supra cap.* 34 277 *nota*)
311 inaccessibilibus] in accessibus F N V^1 V^a R in excessibus Sv inaccessis *cum Vulg.* δ(-R) π 336 eo] deo F γ Pd π
348 a] de *soli* As F^a (*def.* Sv pPd π) 363 quia] quod F N π 367 alias] alia V^a δ(-Pd) 377 secundum] per F γ
378 verba^a] *om.* N F^a δ Iob *add.* F scilicet *praem.* V^1

313 visum valde acutum: cf. Barthol. Anglic. *XII De propriet. rerum* cap. 1. 359 dixi: cap. XIII^a. 360 praetuli: cap. VI^2.
362 imposuerat: cap. XXXIII^{10}. 373 Cap. III^3.

CAPITULUM XL

[1] Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit: [2] Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te et indica mihi. [3] Numquid irritum facies iudicium meum et condemnabis me ut iustificeris? [4] Si habes brachium sicut Deus et si voce simili tonas,

Respondens autem Dominus Iob de turbine etc. In praecedentibus Dominus per commemorationem mirabilium quae apparent in eius effectibus demonstravit suam sapientiam et virtutem, ut ex hoc manifestum sit quod nullus homo nec sapientia nec potestate potest cum Deo contendere; nunc autem ulterius procedit ad arguendum Iob de hoc quod suam iustitiam commemoraverat, quod aliquibus sonare videbatur in derogationem divini iudicii. Praemittitur etiam modus divinae locutionis cum dicitur *Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit*, et excitatio attentionis cum subditur *Accinge sicut vir lumbos tuos*, et petitio responsionis cum subditur *interrogabo te et indica mihi:* quae quia supra exposita sunt, hic iterare non oportet expositionem eorum.

Est autem considerandum quod Iob suam iustitiam commemorando non intendebat imponere iniquitatem divino iudicio, sicut tres amici eius et Eliud perverse intelligebant, sed intendebat ostendere quod non erat punitus in ultionem peccatorum sicut ei imponebant, sed ad probationem sicut supra XXIII[10] dixerat «Probabit me quasi aurum quod per ignem transit»; verum tamen hoc ipsum reprehensibile videbatur, quod sic suam iustitiam commendabat quod aliis videbatur hoc redundare in derogationem divinae iustitiae, unde subdit *Numquid irritum facies iudicium meum?*, quasi dicat: numquid hoc tibi videtur ut commendando tuam iustitiam facias ab hominibus reputari irritum, idest falsum, esse meum iudicium? Falsitas autem iudicii est condemnatio iudicantis qui iniquum iudicium profert vel ex ignorantia vel ex malitia, unde subdit *et condemnabis me ut iustificeris?*, quasi dicat: numquid intantum vis te ostendere iustum quod ego apud alios condemnabilis videar?

Est autem notandum quod si fuerint duo aequales, si oporteat alteri culpam imponi, non est reprehensibile si alter eorum a culpa imposita se expurget quamvis alter culpabilis in aliorum opinione remaneat, quia homo plus se quam alium naturaliter diligit; sed ubi est tanta distantia quanta est Dei et hominis, potius homo debet pati culpam iniuste in se referri quam quod iniuste referatur in Deum: et ideo Dominus ad arguendum Iob proponit excellentiam Dei super homines, quae quidem excellentia ex eius effectibus manifestatur. Sed quia nunc agitur de comparatione iustitiae quae proprie non attenditur respectu irrationabilium rerum, ideo ad ostendendum divinam excellentiam accipit effectus quos Deus operatur in rationabilibus creaturis, qui quidem effectus secundum duo considerari possunt: uno modo secundum virtutis suae operationem, et quantum ad hoc dicit *Si habes brachium sicut Deus:* per brachium enim potentia divinae virtutis exprimitur, quo quidem brachio utitur et ad sustentationem bonorum, secundum illud Is. XL[11] «In brachio suo congregabit agnos», et ad punitionem malorum, secundum illud Luc. I[51] «Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui». Alio modo operatur Deus in rationabilibus creaturis per suae sapientiae doctrinam, quam propter eius excellentiam tonitruum nominat, et quantum ad hoc subdit *et si voce simili tonas:* hoc autem tonitruo utitur Deus ad instructionem bonorum, secundum illud supra XXVI[14] «Cum vix parvam stillam sermonum eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?», et ad terribilem increpationem malorum, secundum illud Psalmi «Vox tonitrui tui in rota», et postea sequitur «Commota est et contremuit terra».

Ex huiusmodi autem effectibus excellentiam divinam demonstrat quantum ad tria: primo quidem quantum ad decorem cum dicit *circumda tibi deco-*

14 te *om.* N β^1 V^2 28 numquid] iniquum F γ

2 praecedentibus: cap. XXXVIII et XXXIX. 8 commemoraverat: e. g. cap. XXVII[6]. aliquibus: e. g. Eliud cap. XXXIV. 14 supra: cap. XXXVIII[1.3]. 41 plus se quam alium: cf. Thomas *II-II* q. 26 a. 4. 69 Ps. LXXVI[19]. 70 Ibid.

5 circumda tibi decorem et in sublime erigere et esto gloriosus et speciosis induere vestibus.
6 Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia.

rem, quasi dicat: si tam potens es in effectibus sicut Deus, attribuas tibi eius decorem, unde signanter dicit *circumda tibi:* Deus enim non habet circumdatum decorem quasi superadditum eius essentiae sed ipsa essentia eius est decor, per quem intelligitur ipsa claritas sive veritas, et puritas sive simplicitas, et perfectio essentiae eius; sed homo non potest habere decorem nisi circumdatum, quasi participando ipsum a Deo ut superadditum suae essentiae. Secundo tangit divinam altitudinem cum subdit *et in sublime erigere:* attenditur autem divina sublimitas non loco quia Deus loco non comprehenditur, sed perfectione et virtute quia quicquid de eo dicitur convenit ei in summo; huiusmodi autem sublimitas Deo essentialiter convenit, unde ad eam non erigitur sed in ea immobiliter manet; homo autem secundum suam naturam est infimae condicionis, unde ad illam sublimitatem divinam pervenire non posset nisi se supra se sublevando, et ideo signanter dicit *in sublime erigere*. Tertio tangit eius gloriam cum subdit *et esto gloriosus:* gloria quidem importat notitiam de bonitate alicuius, unde Ambrosius dicit quod gloria est «clara cum laude notitia»; bonitas autem Dei infinita est, cuius notitia perfecta non est nisi apud Deum, et ideo gloria in solo Deo est inquantum se ipsum cognoscit, ad quam gloriam homo pervenire non potest nisi participando cognitionem divinam, secundum illud Ier. IX[24] «In hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me», et ideo signanter dicit *esto gloriosus*, quia homo essentialiter hanc gloriam non habet.

His igitur positis quae pertinent ad excellentiam divinae potestatis et naturae, procedit ulterius ad commemorandum divinos effectus in rationabilibus creaturis et quantum ad bonos et quantum ad malos; sed sciendum est quod effectus quos Deus operatur in sublimationem iustorum magis attribuuntur misericordiae, quos autem operatur in punitionem malorum proprie attribuuntur iustitiae: et ideo quia nunc agitur de iustitia, primo breviter tangit effectum divinae operationis quantum ad bonos cum dicit *et speciosis induere vestibus*. Omnes enim boni tam angeli quam homines speciosi sunt ex participatione divinae sapientiae et iustitiae, et sicut homo ornatur ex specioso vestimento, ita omnis decor sanctorum angelorum et hominum redundat in ornatum Dei inquantum ex hoc Dei bonitas commendatur, per modum quo dicitur Is. XLIX[18] «His omnibus velut ornamento vestieris». Est autem considerandum quod hoc ad misericordiam Dei pertinet quod sanctos suos faciat speciosos, sed quod eorum decore utatur ad suam gloriam ad iustitiam pertinet de qua nunc loquitur, et ideo non dicit 'speciosas fac vestes' sed *speciosis induere vestibus*.

Deinde diffusius <ostendit> effectus divinae iustitiae quos exercet in malos, et primo hoc prosequitur quantum ad homines. Sciendum est autem quod omnis malitia hominum a superbia initium habet, secundum illud Eccli. X[15] «Initium omnis peccati superbia»; inter cuncta etiam vitia Deus maxime superbiam detestatur, unde dicitur Iac. IV[6] quod «Deus superbis resistit», et hoc ideo quia superbi quasi Deo rebellant dum ei humiliter subdi non volunt, et ex hoc in omnia peccata incidunt divinis praeceptis contemptis — unde et terreni principes maxime detestantur rebelles —, et ideo Dominus specialiter commemorat effectum suae potentiae quem contra superbos exercet. Est autem duplex genus superborum: quidam enim ex bonis quae habent se super alios efferunt, sicut ille qui dicebat Luc. XVIII[11] «Non sum sicut ceteri hominum», et hi proprie superbi dicuntur, ut ipsum nomen sonat; est autem propria superborum poena discordia, quia dum quilibet alii superesse nititur et subici recusat, ad invicem concordare non possunt, unde dicitur Prov. XIII[10] «Inter superbos semper iurgia sunt», et ad hoc designandum dicit *Disperge superbos in furore tuo*, quasi dicat: exerce officium Dei quod est dispergere superbos ut in unum convenire non possint; per furorem autem Dei intelligitur gravis vindicta. Aliud autem genus superborum est qui sibi arrogant id quod supra ipsos est, et hi proprie arrogantes dicuntur, unde dicitur Ier. XLVIII[29] «Arrogantiam et altitudinem cordis illius ego scio, ait Dominus, et quod non sit iuxta eam virtus eius»; horum autem poena propria est deiectio: cum enim volunt se eri-

91 autem] qui *add.* F V^2 pAs 111 sublimationem] sublimatione N V^1 V^2 δ π sublimitatem Sv 112 quos *scripsi*. *cum* sF^3 sPd π] quod *cet.* (*def.* β^1 Va) 113 attribuuntur] —buitur V^2 γ δ^1 π (*def.* β^1 Va) 129 <ostendit> *suppl.*] prosequitur β^1 F^3 exequitur δ^1 π *om. cet.* 142 quem] quam β^1 Sv Va que R 145 hominum] —nes V^2 γ Pd π

96 Ambrosius: sic communiter Thomas e.g. *I-II* q. 2 a. 3, *II-II* q. 103 a. 1 ad 3: 'quaedam glossa Ambrosii'; cf. *Glossa ordin.* super Rom. XVI[27] et *Glossa* Petri Lomb. ibid. (PL 191,1532 C) ex August. *II Contra Maxim.* cap. 13 (PL 42,770). 154 gravis vindicta: cf. supra cap. 21 300 nota.

[7] Respice cunctos superbos et confunde eos, et contere impios in loco suo. [8] Abscondes eos in pulvere simul, et facies eorum demerge in foveam. [9] Et ego confitebor quod salvare te possit dextera tua.

gere supra posse, consequens est quod periculose corruant, secundum illud Psalmi «Deiecisti eos dum allevarentur», unde subdit *et respiciens omnem arrogantem humilia*, idest deicias ex prospectu tuae providentiae.

Communis autem utrorumque prima poena est confusio, quia cum non possint consequi altitudinem quam praetendebant, confunduntur apparente defectu eorum, unde subdit *Respice cunctos superbos et confunde eos*, unde et supra XX[6] dictum est «Si ascenderit usque in caelum superbia eius, quasi sterquilinium in fine perdetur». Secunda autem poena eorum est eorum destructio, quam designat subdens *et contere impios in loco suo*. Superbos impios nominat quia, sicut Eccli. X[14] dicitur, «initium superbiae hominis est apostatare a Deo», quod repugnat divino cultui qui pertinet ad pietatem; conveniens autem poena est superborum quod conterantur: quod enim conteritur, quadam violentia fortioris corporis in minimas partes resolvitur; iustum est autem ut superbi qui se inordinate magnos existimant, fortiori virtute, scilicet divina, ad minimum deducantur. Signanter etiam addit *in loco suo*, ut ostendatur quod id in quo confidunt eos liberare non potest: unumquodque enim in suo loco conservatur, unde multitudo divitiarum vel status dignitatis, vel si quid aliud huiusmodi est in quo homo confidat, locus eius dici potest; quibus non obstantibus superbus a Deo conteritur, ut quasi in loco suo contritus videatur. Tertia poena est quod postquam sunt ad minimum redacti claritas famae eorum cessat: iustum est enim ut qui gloriae pompam quaerebant ab hominum memoriis deleantur, secundum illud Prov. «Nomen impiorum putrescet», unde sequitur *Abscondes eos in pulvere*, idest facies eos obscuros propter statum vilitatis ad quem deducentur. Quod autem addit *simul* potest ad duo referri, videlicet ad hoc quod omnes superbi simul talem finem patiuntur, et ad hoc quod non successive superbi depereunt sed simul, idest subito, deiciuntur. Quarta autem poena eorum est ut non solum ipsi ab aliis non cognoscantur sed etiam bona de quibus superbierunt agnoscere non sinantur, unde subdit *et facies eorum*, per quas scilicet virtutes eorum cognoscitivae significantur eo quod visus hominis in facie ponitur, *demerge in foveam*, idest in profundum inferni; et loquitur de damnatione mortis secundae per similitudinem mortis primae, per quam homines in corporalem pulverem reducuntur in foveam demersi.

Haec autem Dominus praemiserat quasi propria sua opera; eius autem proprium est ut non egeat alieno auxilio, quod homini convenire non potest sicut nec potest praedicta opera exercere, unde subdit *Et ego confitebor quod salvare te possit dextera tua*, quasi dicat: si praedicta opera facere potes quae sunt Dei solius, potes tibi rationabiliter attribuere quod divino auxilio non egeas ad salutem; sed sicut illud non potes, ita nec hoc; unde non debes de tua iustitia gloriari.

Ecce Vehemot quem feci tecum etc. Supra Dominus narraverat effectus virtutis suae quos in malis hominibus operatur, nunc autem accedit ad describendum malitiam diaboli. Manifestum est autem ex praemissis quod apud Iob et amicos eius eadem erat opinio de daemonibus quam nunc Ecclesia catholica tenet, ut scilicet ex angelica dignitate per peccatum corruerint, unde supra IV[18] dictum est «Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles». Et sicut homo per peccatum decidit a dignitate rationis et contra rationem agens irrationabilibus comparatur, ita etiam diabolus per peccatum avertens se a supremis et intelligibilibus bonis, dum principatum super inferiora et terrena appetiit, animalibus brutis comparatur, in quorum effigie frequenter daemones apparent hominibus, Deo id providente ut tales figuras corporum sinantur assumere per quas eorum condicio designetur.

Est autem considerandum quod sicut angeli in sua dignitate remanentes excellentiam quandam habent supra hominum dignitatem, unde et in fulgentiori quadam claritate apparent hominibus, ita etiam daemones excellentiam quandam et principatum in

166 Communis] *forte praemittendum est* Consequenter autem ponit communes poenas eorum *quod addunt lin.* 169 *post* eorum V^2, *lin.* 170 *post* eos β^1, *lin.* 172 *post* perdetur N 167 possint] possunt N V^1 V^2 F^2 δ(-R) π possit F^2 195 Abscondes] —de *cum Vulg.* δ(-R) π 206 facie] faciem F β^1 γ(-F^2) δ π 215 salvare (*cf.* ad salutem *infra lin.* 218)] servare F N V^1 V^2 218 egeas] egeat N V^2 eges Pd 233 et *om.* F V^2 237 sinantur] signantur N δ^1 signanter V^2 figurantur β^1

162 Ps. LXXII[18]. 180 in minimas partes: cf. Arist. *IV Meteora* cap. 9 (386 a 13) ut refert Thomas *Super IV Sent.* d. 17 q. 2 a. 1 qc. 1. 194 Prov. X[7]. 226 Ecclesia catholica: cf. supra cap. 1 241 et cap. 4 412 nota.

[10] Ecce Vehemot quem feci tecum. Fenum quasi bos comedet.

malitia supra homines habent, et ideo sub figura quorundam excellentium et quasi monstruosorum animalium describuntur. Inter omnia autem animalia terrestria excellit elephas magnitudine et virtute, inter animalia vero aquatica excellit cetus: et ideo Dominus describit diabolum sub figura elephantis et ceti, ut hoc nomen *Vehemot*, quod significat 'animal', referatur ad elephantem qui inter cetera animalia terrestria, quae communius animalia dicuntur, quendam principatum tenet propter corporis magnitudinem; nomen autem *Leviathan*, quod significat 'additamentum eorum', referatur ad cete grandia quae habent magnitudinis additamentum supra omne animalium genus.

Posset autem forte alicui videri quod Dominus ad litteram intenderet exprimere proprietates elephantis et ceti propter magnitudinem qua reliqua animalia superant; sed quod proprietates horum animalium in figuram alterius describantur manifestum est ex hoc quod, proprietatibus positis ad figuram pertinentibus, subditur veritas. Nam praemissis proprietatibus Vehemot, idest elephantis, quasi exponendo veritatem subdit «Ipse est principium viarum Dei»; praemissis autem proprietatibus Leviathan, idest ceti, subdit «Ipse est rex super universos filios superbiae». Et satis convenienter in descriptione diaboli terminatur disputatio Iob, quae est de adversitate ipsius, quia etiam supra commemoratur Satan fuisse principium adversitatis ipsius; et sic dum amici Iob causam adversitatis eius ad ipsum Iob referre niterentur putantes eum propter sua peccata fuisse punitum, Dominus, postquam Iob redarguerat de inordinata locutione, quasi finalem determinationem disputationi adhibens, agit de malitia Satan quae fuit principium adversitatis Iob et est principium damnationis humanae, secundum illud Sap. I «Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum».

Primo ergo incipiens describere Satan sub figura Vehemot, assignat convenientiam eius ad hominem dicens *Ecce Vehemot quem feci tecum*. Et si quidem hoc referatur ad tempus inchoationis utriusque quantum ad figuram, veritas apparet: nam sexto die simul cum homine terrena animalia sunt producta; si referatur ad diabolum, de quo figuraliter sive metaphorice haec dicuntur, non videtur simul diabolus factus cum homine: nam homo factus legitur die sexto, Satan autem inter angelos factus creditur in principio quo creavit Deus caelum et terram. Sed si illa dierum enumeratio non designat temporis successionem sed diversa genera rerum productarum, secundum sententiam Augustini, nulla repugnantia invenitur; si autem, secundum aliorum expositionem, angelorum creatio duratione praecessit hominis productionem, potest dupliciter hoc verbum intelligi: uno modo ut sit sensus *quem feci tecum* idest quem feci sicut et te, et hoc dicit ad excludendum errorem eorum qui considerantes malitiam diaboli aestimaverunt eum non esse Dei boni creaturam; alio modo ut sit sensus *quem feci tecum* idest similitudinem tecum habentem quantum ad naturam intellectualem. Et huius etiam similitudinis aliquod vestigium in elephante apparet: dicit enim Aristotiles in VIII De animalibus quod «maxime domesticabile silvestrium est elephas: ad multa enim eruditur et intelligit quoniam et adorare reges docentur», quod non dicitur quia habeat intellectum sed propter bonitatem naturalis aestimativae.

Descripta igitur convenientia Vehemot cum homine, describit proprietates ipsius, et ut hoc primo ad figuram referamus, tria videtur circa Vehemot describere: primo quidem cibum ipsius cum dicit *Fenum quasi bos comedet:* ad litteram enim non est animal comedens carnes sed herbas et alia huiusmodi ad modum bovis. Et quia herbae nascuntur in terra, per hoc figuratur quod Satan pascitur, idest delectatur, in terrenorum dominio, unde et iactanter de se dicit Luc. IV[6] «Mihi tradita sunt», scilicet regna orbis terrae, «et cui voluero do illa».

Secundo describit coitum eius: in cibo enim et

268 universos] omnes N F^2 γ δ^1 π 269 in descriptione] in hoc disputatio (in hac disputatione As π) domini *praem. codd., quod coniecimus primam redactionem casu non cancellatam et delevimus* 270 disputatio] et *praem.* β^1 F^3 sPd 277 disputationi] —onem F Sv R —onis N disputantium β^1 310 docentur *ut in transl. Guillelmi*] docetur *solus* F^2

250 'animal': cf. Gregor. *XXXII Moral.* cap. 12 (PL 76,644 C); Isid. *VIII Etymol.* cap. 11 (PL 82,317 A). 254 *Leviathan*: infra vers. 20. 255 'additamentum eorum': cf. Gregor. *XXXIII Moral.* cap. 9 (PL 76,682 C); Isid. *VIII Etymol.* cap. 11 (PL 82,317 B). 266 Vers. 14. 268 Cap. XLI[25]. 271 supra: cap. I[12]. 280 Rectius Sap. II[24]. 286 sexto die: Gen. I[24]. 292 creditur: cf. August. *I De Gen. ad litt.* cap. 1 (PL 34,247); *Glossa ordin.* super Gen. I[1]. 295 *IV De Gen. ad litt.* cap. 26 et 33 (PL 34,314 et 318) et *XI De civ. Dei* cap. 9 (PL 41,324) ut refert Thomas *I Pars* q. 74 a. 2. 296 aliorum: e.g. Hieron. *Super Tit.* I[2] (PL 26,594) et Ioh. Damasc. *II De fide* cap. 3 (PG 94,873; Bt 74) quos allegat Thomas *I Pars* q. 61 a. 3 arg. 1 et *De subst. separ.* cap. 16 (al. 17). 302 aestimaverunt: Manichaei apud Gregor. *XXXII Moral.* cap. 12 (PL 76,646 B). 303 alio modo: cf. Gregor. ibid. (PL 76,646 A). 307 *IX De hist. animal.* cap. 46 (630 b 18) sec. transl. Guillelmi (ms. f. 61va) quamvis sub titulo 'De animalibus' vel 'Animalium' hic et infra designatur; cf. Praef. § 13 et 145.

11 Fortitudo eius in lumbis eius, et virtus illius in umbilico ventris eius; 12 stringit caudam suam quasi cedrum, nervi testiculorum eius perplexi sunt. 13 Ossa eius velut fistulae aeris, cartilago ipsius quasi laminae ferreae. 14 Ipse est principium viarum Dei.

coitu praecipuae delectationes animalium consistunt. Describit autem coitum elephantis primo quidem quantum ad principium libidinis ex qua animalia commoventur ad coitum, cum dicit *Fortitudo eius in lumbis eius:* nam ex lumbis sive ex renibus semen ad membra genitalia derivatur. Secundo describit figuram coitus: nam, sicut Philosophus dicit in V Animalium, «patitur coitum femella elephantis considens, et masculus ascendit», et hoc significat subdens *et virtus illius in umbilico ventris eius*, qui scilicet umbilicum superponit in coitu dorso femellae; et oportet quod sit in umbilico magna virtus ne frangatur propter collisionem corporum tam magnorum. Animalia autem in quibus talis figura coitus invenitur, dum coeunt caudam inter tibias posteriores stringunt, unde subdit *stringit caudam suam quasi cedrum*, quod dicitur propter magnitudinem eius. Tertio describit organa coitui deservientia cum subdit *nervi testiculorum eius perplexi sunt*, idest revolutiones quasdam habent, ut Philosophus describit in III Animalium de testiculis omnium animalium gressibilium et generantium animal.

perfectus, perfectivus: id quod perfectius est desiderabilius est 1_2 62; perfectum bonum est hominis finis 7_2 75; cum formidine homo facit illud quod scit se perfecte facere non posse 37_{23} 350; unumquodque tanto in maiori nobilitatis altitudine consistit quanto magis suo perfectivo substat 1_{20} 779; perfectissimi viri interdum gravissimas adversitates patiuntur 5_{19} 341, *vide* adversitas

perfligere: frigore perfligi 24_8 79

periculum: peccator sponte ingerit se periculis et non desistit 18_9 112, cf. 18_{10} 132, 136; homo propter peccatum luxuriae incurrit periculum personae et rerum 31_3 47, cf. 24_{17} 180; arrogantes cum volunt se erigere supra posse periculose corruunt 40_6 160; si quis sufficienter de Deo loqui se aestimaret, ex hoc ipso sibi periculum immineret 37_{20} 299; timor corporalium periculorum maxime solet procedere ex multitudine contra hominem insurgente 31_{24} 344; dux exercitus strenuis militibus non parcit a periculis 7_1 43; gravia pericula in revelationibus contenta 4_{16} 376; pericula personalia et generalia 5_{20} 346; equus audacter ad pericula vadit 39_{19} 220

periodus: difficillimum est cognoscere quis sit periodus vitae et permanentiae cuiuslibet rei 38_{17} 334

Peripatetici: posuerunt quod bona exteriora sunt aliqua hominis bona non quidem principalia 1_{20} 740, sapientem in amissionibus exteriorum bonorum moderate tristari concedebant 1_{20} 744, cf. 3_1 4, 6_{12} 165, quae sententia verior est et ecclesiasticae doctrinae concordat 1_{20} 747

perire: ea quae non totaliter pereunt reparari posse videntur 14_{11} 100. – *Perire*: adversitatem pati 23_{17} 243

permanentia, permanere: est difficillimum cognoscere quis sit periodus vitae et permanentiae cuiuslibet rei 38_{17} 334; visio diurna est rei permanentis 20_6 85

perpetuitas, perpetuus: secundum modum quo aliqua participant perpetuitatem, essentialiter ad perfectionem universi spectant 7_{17} 371; secundum quod aliqua perpetua sunt, sive specie et individuo sive specie tantum, propter se disponuntur a Deo 7_{17} 376; perpetuitas quae in persona salvari non potest quaeritur in prole 1_{18} 617

perscrutari: homines quorum mens occupata est tristitia non possunt subtiliter perscrutari 9_{24} 733

persecutio, persequi: persona hominis quandoque perit per aliquam persecutionem 27_{21} 235, 27_{22} 241; quandoque aliqui persequuntur potentes propter invidiam vel timorem 36_6 41. – Exterior persecutio: *laesio vineae in primo flore* 15_{33} 315

perseverare: requiritur quod homo in sollicitudine ad Deum imitandum perseveret 23_{11} 193; ad conversionem requiritur ut homo perseveret cavens sibi a recidivo peccati 8_6 99; homo post corruptionem humanae naturae perseverare non potest sine gratia Dei 7_{20} 460; solet hoc esse proprium in peccatis perseverare volentium ut divina contemnant iudicia 34_8 74. – Perseverare in orando: *stare* 30_{20} 217

persona: principium prosperitatis temporalis, post bonam consistentiam personae propriae, consistit in personis coniunctis et praecipue in natis 1_8 54, cf. 15_{20} 300; veritas ex diversitate personarum non variatur 13_{20} 287; ille in respondendo personam hominis accipit qui veritatem relinquit ut homini deferat 32_{21} 191, *vide* acceptio; quaedam in iuvenibus tolerantur quae in personis gravibus reprehensibilia sunt 1_5 137; periculum personae et rerum 31_3 48; Iob loquens ex persona sensualis partis 3_{15} 383. – Status personae: *locus* 7_{10} 224

perspicacitas: perspicacitas equi in bello 39_{25} 277

perspicuitas: vitrum habet pulcritudinem ex perspicuitate 28_{17} 217

perstupescere: *perstupesco*, ne in aliquo a veritate deficiam 21_6 40

pertransire: prosperitatem huius mundi pertransire, ab ea pertransiri 9_{25} 588; tunc iudex peccatum videns inconsiderate pertransire videtur quando dissimulat et poenam apponere non curat 11_{11} 184

perturbatio, perturbare: a principio homo sic institutus fuit ut nullis subiaceret perturbationibus si in innocentia permansisset 1_2 51; in tempore noctis modica commotio perturbationem inducere solet aestimantibus aliquid maius esse 4_{15} 302; apparitio a spiritu malo hominem perturbatum relinquit 4_{16} 357; effectus perturbationis quam diabolus in mundo concitat quandoque diutius durat 41_{23} 407

perversitas, perversus: perversitas rationis est stultitia 5_8 23; maxima perversitas videtur ut aliquis Deum irrideat eius iudiciis detrahendo 34_7 66; perversi homines solent non ex recta intentione sanctos agere calumniari 1_9 480; ex vita sanctorum condemnabilis ostenditur perversitas impiorum 1_8 472. – *Vide* intentio

pes: qui sponte ponit pedem in reti se praeparat captioni 18_8 103. – *Pes*: affectus et quaecumque virtus animae est motionis principium 31_6 75, cf. 23_{11} 188, facultas operandi 30_{12} 141, 30_{13} 149

petrosus: in locis petrosis non est multa vaporum resolutio 39_{28} 308; ibices in locis petrosis habitant in quibus et pariunt 39_1 9; ad petrosa loca non de facili patet hominibus accessus 39_1 11

phantasma: visio nocturna, idest visio phantasmatis non permanentis 20_8 82; solent nocturna phantasmata conformia esse diurnis cogitationi-

bus 7_{14} 314; infirmitas corporis ad hoc operatur ut perturbata phantasmata dormientibus appareant 7_{14} 318; aliquando propter nimiam commotionem fumositatum et humorum totaliter suffocantur phantasmata 4_{16} 312. – *Vide* somnium

Pharao: diem nativitatis celebrabat 3_4 181

pharetra: pharetra plena sagittis concutitur ad motum militis equo insidentis 39_{22} 256; ex pharetra sagittae extrahuntur 30_{11} 103

philosophus, philosophicus: philosophi excellunt in consideratione veritatis 12_{20} 313; aliquando Deus obnubilat philosophorum mentem 12_{20} 316; terra quandoque secundum aliquas partes movetur naturaliter ut philosophi tradunt 9_6 150; circa corporalia bona et animi passiones antiquorum philosophorum diversa opinio fuit 1_{20} 735; differentia qualem assignant philosophi inter continentiam et castitatem 4_6 96; intellectualis cognitio non convenit nisi substantiae incorruptibili ut a philosophis probatur 14_{20} 308; posteriorum philosophorum diligentia perspicacius intuens veritatem, ostenderunt res naturales providentia agi Prol. 17; reditum ad vitam carnalem quidam philosophi posuerunt 7_{19} 228; metrice philosophica describere 36_{24} 263

Pictagorici: ponebant corpora caelestia animata 38_{27} 654; ex motu caelorum posuerunt sonitum harmonizatum provenire 38_{27} 651

pietas: ipse est Deus cui debetur pietatis cultus 34_{19} 111, 40_7 177; impii pietatem divinae religionis abiciunt 34_6 83, cf. 34_{26} 303, *vide* Deus

pinguedo, pinguis: pinguedo ex abundantia humorum causatur 15_{26} 258; butyrum est lactis pinguedo 29_6 60; pinguedo ceti 40_{24} 629. – *Pinguedo*: abundantia temporalium 15_{26} 259. – *Vide* adeps

piscis, piscator: hominibus occultae et mirabiles sunt piscium dispositiones in mari viventium 38_{16} 305; nullus piscis habet collum nisi illi qui generant animalia (Aristoteles) 41_{12} 203; in corpore piscis una squama uni coniungitur per ordinem 41_7 108; quandiu piscis est vivus et fortis et squamae eius sunt in vigore 41_7 112, aut non 41_7 115; pisces capiuntur hamo 40_{19} 494, per funem cui hamus appenditur retinentur 40_{20} 540, cf. 40_{28} 622, 633; maioribus piscium captorum piscatores implent magnas sagenas 40_{25} 622, minoribus autem alia minora instrumenta 40_{26} 633, ut gurgustium 40_{26} 636; piscator ceti 40_{24} 627; per Leviathan intelligitur aliquis magnus piscis 3_8 253. – *Vide* cetus

plaga: sol remotus est a plaga caeli septentrionali 37_9 147

planeta: motus planetarum est ex adverso motus firmamenti, unde principium est in occidente 23_8 130; versus partem meridionalem quoad nos procedunt motus planetarum 23_8 101; admirabilis apparet motus planetarum in quo cum sit omnino uniformis quaedam irregularitas ad sensum videtur 38_{22} 550, 570. *vide* sol; motus planetarum magis intelligitur ex diversitate situs planetarum quam appareat oculis 23_8 135. – *Vide* stella

plantare: arbor si extirpetur et iterum plantetur 15_{29} 290; rami virentes possunt plantari 15_{30} 299

platea: in plateis multitudo solet inveniri 18_{17} 216

Plato, Platonici: posuerunt Platonici quod animae hominum derivabantur ab animabus stellarum 37 (36_{23}) 35; Plato in futuris temporibus lecturus Athenae et eadem acturus quae prius egit 7_6 141, *vide* reditus

plenitudo: in Christo est omnis virtutis et sapientiae plenitudo 3_1 14. – *Plenitudo dierum*: abundantia bonorum 42_{16} 204, cf. 201

plerique: divinae cognitioni subiacent pleraque hominibus occulta 28_2 56

Pliades: dicuntur stellae quae lucent in capite Tauri, quarum sex apparent valde propinquae, septima autem obscurior 38_{31} 536

plorare: ascendens multa lacrimarum materia ad caput, facies plorantium intumescit 16_{17} 221; in solemnibus sepulturis plorantur viduae 27_{15} 182

pluvia, pluere, pluviosus: principium pluviae est in alto 5_{10} 219; pluviae ex motu vaporum resolutorum ex terra et aqua fiunt 1_{19} 718, *vide* vapor; ex nubibus procedunt diversi effectus, puta pluviae 37_{12} 193, cf. 26_9 126, 36_{28} 302, 37_{16} 241; pluviarum et roris causa est calor resolvens et non permittens congelari vaporem 38_{29} 507, cf. 38_{28} 498, nec differunt nisi secundum multitudinem et paucitatem materiae 38_{28} 499

Ex causis naturalibus provenit quod pluviae cessent usque ad omnimodam siccitatem aut abundent usque ad terrae subversionem 12_{16} 233, cf. 28_{25} 316; sol et alia caelestia corpora sunt proxima causa efficiens generationis pluviarum 38_{28} 497; pluviae ex divina ordinatione super terram cadunt 37_{15} 232, cf. 26_8 120, 28_{25} 312, 37_{15} 215; aliud est naturali cursu pluere quod solius Dei est, aliud est causis naturalibus artificialiter uti ad pluviam 1_{19} 726; meridionales venti pluvias et tempestates producunt 37_9 131, 37_{10} 153; si nubes et pluviae non impellerentur a ventis numquam in locis siccis plueret 38_{26} 477, in locis desertis cf. 38_{27} 484; ex ventis dum pluvia impellitur causatur imber 38_{25} 464; post tonitrua ut plurimum pluviae magnae subsequuntur 38_{24} 595, *vide* tonitruum. – *Vide* ventus

Mutatio aeris fit secundum siccitatem et pluviam 37 (36_{33}) 2; quandoque in aere abundant pluviae 36_{27} 299, quod admirabile apparet 36_{28} 302; per pluviae multitudinem nobis occultatur caelum 38_{24} 599; per pluviam superficies terrae infunditur 5_{10} 215, cf. 36_{28} 308; aquae pluviarum guttatim cadunt 26_8 120, cf. 116; pluviis ex nubibus cadentibus, remanent vaporum reliquiae ex quibus nebulae generantur 26_9 126; pluviae congelatae sunt nives 38_{29} 504

In terris calidis sunt pluviae rariores 37_{13} 217, cf. 38_{26} 477; in locis montanis frequentiores et graviores sunt pluviae 24_8 82; pluviae in hieme abundant 37_6 109; pluviae sunt utiles ad terrae fecunditatem 36_{31} 329, ad productionem frumenti 37_{11} 162; per pluviam homines refrigerantur 29_{23} 216; aliud opus exercet homo tempore pluvioso 37_7 117

Occultae creaturae scilicet venti et pluviae 28_{25} 308; nubium cognitio est principium cognoscendi aeris permutationes, puta pluvias 37_{16} 241, *vide* nubes; pluvia in die aliqualiter praevideri potest 27_{20} 228; pluvias sensibiliter homines percipiunt, sed earum primam originem a Deo non comprehendunt 37_{15} 228. – *Vide* vapor

poena, poenalis, poenosus: creaturis rationalibus debentur poenae et praemia 7_{12} 274; poena per convenientiam culpae respondebit 20_{18} 209; a contrario vitio in contrarium transire est poena consequens omnes malos 24_{19} 219; poenae cor-

porales non videntur directe causari ex ipsis peccatis nisi forte ex aliquibus 18$_{12}$ 154

Nullus potest esse a poena immunis 31$_{4}$ 58; aliquis offendit unde poenam meretur a Deo dupliciter 3$_{26}$ 537; poenae praesentis vitae sunt ad correctionem 35$_{15}$ 144, si acerbae sunt cito interimunt 21$_{31}$ 312; adversitas temporalis non est poena peccati 21$_{16}$ 141, cf. 36$_{12}$ 111; si propriae poenae peccatorum essent adversitates vitae praesentis 6$_{2}$ 18, *vide* adversitas; mors est poenarum praesentium maxima 9$_{22}$ 519, ultima 8$_{8}$ 73, irremediabilis 34$_{23}$ 256, cf. 36$_{16}$ 167, 20$_{21}$ 280, 24$_{20}$ 238; ad rectorem humanarum rerum pertinet ut quos culpabiles invenit poenis subiciat 9$_{11}$ 292; propter malitiam punientis tripliciter contingit poenas innocentibus irrogari 10$_{2}$ 68; quandoque ex multitudine poenarum homo deficit ut ulteriores sustinere non possit 20$_{18}$ 197; per hoc quod homo liberatur a culpa consequens est ut evadat poenam 33$_{18}$ 197, cf. 36$_{14}$ 133; poena damni 20$_{34}$ 300, poena sensus 20$_{36}$ 306; cognoscere ea quae hominem affligunt poenosum est 3$_{20}$ 442; in sanctis angelis non est timor poenalis 26$_{11}$ 161. – Poena: *ira* 6$_{2}$ 31; poenae magnitudo: *furor* 35$_{15}$ 141; poenae praesentes: *arma ferrea* 20$_{24}$ 275, poenae futurae vitae: *arcus aereus* 20$_{24}$ 278. – *Vide* culpa, offensa, satisfactio

poeta: poetae consueverunt figuris et coloribus uti 3$_{4}$ 137, ad eandem sententiam diversa inducere 3$_{4}$ 138

polus: totum caelum et omnes stellae in eo semel in die et nocte revolvitur super polos mundi 38$_{21}$ 540; aequinoctialis transit per utrumque polum 9$_{9}$ 254, inde uterque polus conspicuus est his qui sub aequinoctiali habitant 9$_{9}$ 251; accedentibus versus polum septentrionalem, elevatur super horizontem polus septentrionalis (polus aquilonaris 26$_{7}$ 92) et deprimitur polus australis 9$_{9}$ 257; stellae septem Arcturi sive Ursae maioris semper circueunt polum septentrionalem 9$_{9}$ 240, 38$_{21}$ 543, uniformiter in gyro 38$_{21}$ 547; nobis polus australis numquam est conspicuus 9$_{9}$ 261, 37$_{2}$ 135; venti meridionales oriuntur nobis ex parte quae est versus polum antarticum 37$_{2}$ 133, *vide* ventus

pomum: naves poma portantes 9$_{24}$ 620

pondus: tremunt genua homini magnum pondus portanti 4$_{4}$ 54

porta: iudices olim in portis sedere solebant 5$_{4}$ 73, 29$_{7}$ 74, cf. 31$_{21}$ 241

positio: in caelo sex positionis differentiae 23$_{8}$ 79, 96

possessio, possidere: frequenter multa possidentes, dum ea immoderate amant, eis tenacius utuntur 1$_{4}$ 103; per nimium cultum superfluos fructus a suis possessionibus extrahere 31$_{38}$ 388. – Firma possessio: *hereditas* 31$_{8}$ 39

posterius: sensibilia simpliciter et secundum naturam sunt posteriora 12$_{14}$ 205; si imaginemur motum firmamenti sicut motum unius animalis, oportebit ponere posterius in inferiori hemisphaerio 23$_{8}$ 85

potens: peccatum proprium potentum est ut subditis violentias inferant, utentes sua potentia quasi lege iustitiae 36$_{9}$ 88; quando aliquis dives et potens filios sine disciplina nutrit, filii eius in multa pericula frequenter incidunt 5$_{4}$ 61; quandoque aliqui persequuntur potentes propter invidiam vel timorem 36$_{5}$ 41; illi per quos diabolus in alios malitiam exercet sunt ut plurimum potentes 41$_{13}$ 211; in potentibus quandoque invenitur iniquitas, et pro hac puniuntur a Deo 36$_{6}$ 52, cf. 36$_{7}$ 64, 34$_{17}$ 191; si consueto modo potentibus mors expectata superveniret, non imputaretur hoc divino iudicio 34$_{20}$ 219

potentia, posse, potenter: est de ratione potentiae quod se habeat ad esse et non esse 4$_{18}$ 422, secundum quod magis perficitur ab actu firmius stat in uno 4$_{18}$ 424; causa mutabilitatis est potentia 4$_{18}$ 421; sicut materia comparatur ad formam ut potentia ad actum, ita voluntas ad bonum 4$_{18}$ 427; multa per nos ipsos non possumus quae possumus per amicos 6$_{13}$ 187; ut ea quae aliquis iudicat facienda potenter exequatur, ad hoc pertinet fortitudo 12$_{13}$ 201; non conveniens est quod aliquis fortissimus suam potentiam velit ostendere in re debilissima 13$_{25}$ 371; adhibetur favor alicui personae quandoque propter defectum potentiae illius cui favetur 26$_{1}$ 12; in rebus humanis excellunt reges secundum potentiam 12$_{18}$ 300. – Potentia: *arcus* 29$_{20}$ 192, *brachium* 40$_{4}$ 55, cf. 22$_{8}$ 68, *cervix* 13$_{12}$ 180, *cingulum* 12$_{15}$ 303, *manus* 6$_{9}$ 112, cf. 30$_{2}$ 22

potestas: consistit temporalis prosperitas primo in potestate 21$_{23}$ 234; inter potestates humanas praecellit regia dignitas 34$_{18}$ 193, secundum locum tenent duces exercitum 34$_{18}$ 197; qui non habent legitimam sed usurpatam potestatem scilicet tyranni 34$_{19}$ 203; oportet quod in iudice sit maior potestas qua possit utramque partem comprimere 9$_{22}$ 721, cf. 36$_{23}$ 252; motus violentus est a potestate humana 26$_{7}$ 110; non est rationi consonum ut maior potestas a minori de iniustitia condemnetur 36$_{22}$ 239; impedimentum misericordiae est fiducia propriae potestatis 31$_{21}$ 235, ex qua homini videtur quod impune possit alios gravare et maxime inferiores personas 31$_{21}$ 237; potestas nocendi alicui non est nisi a Deo 12$_{4}$ 129, 15$_{20}$ 196, cf. 40$_{14}$ 404. – Potestas: *manus* 1$_{12}$ 566, 5$_{30}$ 357, 8$_{4}$ 77, 12$_{10}$ 149, 21$_{16}$ 153, 23$_{2}$ 15, 27$_{23}$ 246, 28$_{9}$ 123, 37$_{2}$ 69

potissimus: illud unicuique pars esse videtur quod quasi potissimum bonum desiderat 24$_{18}$ 203; proles inter temporalia bona potissimum reputatur 27$_{14}$ 169

praeceps: adolescentia est magis praeceps ad peccandum 20$_{11}$ 121

praeceptum: peccatorum quaedam sunt commissa quae contra praecepta legis negativa fiunt 13$_{23}$ 335, quaedam omissa quibus praecepta affirmativa negliguntur 13$_{23}$ 336, *vide* peccatum

praedicatio: homines luxuriae dediti a bonis praedicationibus discedunt 31$_{3}$ 53

praedo: ex quo aliqui finem suum in divitiis ponunt, efficiuntur praedones 12$_{6}$ 103; in hoc quod praedones praedantur Deum provocant, sed abundantia consequens est eis a Deo 12$_{6}$ 131, 12$_{10}$ 158

praemissum: solent homines hebetes cum cognoscant praemissa non advertere quid ex eis sequatur 27$_{12}$ 144

praemium: creaturis rationalibus debentur poenae et praemia 7$_{12}$ 274; prosperitas temporalis non semper est praemium virtutis 21$_{16}$ 141, cf. 1$_{10}$ 518, *vide* prosperitas

praeoccupare: pluvia subito praeoccupans hominem 27$_{20}$ 229; aliqui pauperes praeoccupantes tempus operis 24$_{14}$ 149; plurimos in hac vita praeoccupat luctus 21$_{35}$ 339

praescientia: ultio futurae damnationis quandiu est in Dei praescientia

quasi in quadam vagina non damnat 20_{25} 285. – *Vide* Deus

praesens: pars sensualis non habet locum nisi ad praesentia 3_{15} 385; semper homo quasi non contentus praesentibus futura desiderat 7_8 62. – In praesenti tempore: *nunc* 37_{21} 317

praestolari: remedium praestolari 10_2 44

praesumptio, praesumere, praesumptuosus: etiam in praesumptionibus seu suspicionibus in meliorem partem dicta vel facta interpretanda sunt 4_2 18; etsi sit sibi conscius de peccato aliquis quandoque praesumit vel quia non habuit malam intentionem aut quia fecit ex ignorantia et infirmitate 9_{21} 492; iuvenilis praesumptio, more contentiosorum 37_{24} 400; praesumptio nigromanticorum 40_{26} 649; inordinata spes in praesumptionem degenerat 13_{13} 225; solent homines impavidi in contrarium timoris incedere per praesumptionem 31_{24} 351; qui timet aliquem non praesumit cum eo contendere 15_4 31, cf. 33_{12} 108

Est valde praesumptuosum quod homo suam scientiam divinae audeat comparare 22_2 13, quod putet bona quae facit esse Deo utilia 22_3 21, quod cupiat disputare cum Deo 33_{12} 112; si quis in tantam praesumptionem erigeretur ut sufficienter de Deo loqui se aestimaret, ex hoc ipso sibi periculum immineret 37_{20} 299

praetendere: simulatores praetendunt iustitiam quam non habent 36_{12} 121; hypocritae exterius praetendunt ac si Deo inhaereant 8_{13} 215

pravitas: secundum Origenem, quicumque spiritus creati possunt etiam nunc ad pravitatem perduci 4_{18} 452. – *Vide* angeli

preces: propter timorem preces porrigere victori 40_{23} 579

pretiositas, pretiosus: de generatione aliquorum pretiosorum 28_6 94, de eorum inventione 28_{13} 166; quaenam sunt apud homines pretiosissima 28_{15} 188, cf. 41_{21} 375; propter pretiositatem solent dona promissa allicere hominem 41_{21} 365

pretium: pretia lapidum non sunt eadem nec in omnibus locis nec in omnibus temporibus 28_{16} 213; vitrum non est praecellens pretii aestimatione 28_{17} 217; operariis denegare pretium laboris 31_{39} 396

primarius: primarii civitatis aut regni excellere videntur secundum prudentiam in consiliis 12_{19} 310

primitiae: ante Legem datam fuit primitiarum oblatio 1_5 161

primitus: primitus offendere 3_{26} 544

princeps: excellunt principes in auctoritate quam habent aliis praecipiendi 12_{21} 325, cf. 12_{24} 376, 25_3 53; terreni principes maxime detestantur rebelles 40_6 139; cum princeps ab extraneis aufertur requiritur quod habeat manum armatam contra ipsum 34_{20} 231. – Malefactorum princeps: *caput aspidum* 20_{16} 168

principium, principalis: virtus divina est naturae principium 26_7 112, *vide* Deus; non omnia procedunt ex necessitate principiorum naturalium 5_9 163; seminaria sapientiae et scientiae in cognitione primorum principiorum 38_{26} 625; unumquodque consuevit appellari id quod est in eo principalius 4_{19} 489

probare, probabilis: experimentum in rebus particularibus maxime efficax est ad probandum 8_8 127; aliqui quandoque aliqua probabilia licet falsa proponunt 13_5 47

processus, procedere: vestigia signa sunt per viam procedentis 11_7 106; vecte processus alicuius impeditur 38_{11} 220; homo per aetatis processum tendit in mortem, nec iteratio potest esse 16_{23} 313, *vide* homo; productio creaturarum a Deo quidam processus Dei intelligitur in creaturas 11_7 108. – Procedere: *ambulare* 24_{17} 185, 29_3 38; processus: *gradus* 31_{37} 378, *gressus* 31_4 62, 34_{21} 245, *itinera* 30_{12} 151, *semita* 22_{15} 162, *via* 23_{10} 155, 24_{12} 132, 24_{23} 284, 28_{23} 282, 31_4 59

proclivis: iuvenes solent esse ad peccata proclives 29_8 80

productio, producere: productio creaturarum a Deo quidam processus Dei intelligitur in creaturas 11_7 108, cf. 28_{27} 331; a Deo immediate innumerabilia nobis producta sunt 5_9 197, 9_{10} 284; in caelestium corporum productione fuit materia cum forma producta 37_{18} 268; sexto die simul cum homine terrena animalia sunt producta 40_{10} 286; si angelorum creatio duratione praecessit hominis productionem 40_{10} 296. – *Vide* Deus, creatio

proelium: rex qui praeparatur ad proelium 15_{24} 239

profectus: iusti puniuntur ad profectum 24_{20} 248; Deus quandoque hominem exaudit non ad votum sed ad profectum 9_{15} 411, *vide* Deus; medicus infirmum ad profectum exaudiens 9_{16} 413

profunditas, profundum: profunditas alicuius in consiliis ex duobus perpendi potest 12_{17} 272. – Profundum inferni: *fovea* 40_8 206; profundum maris: *abyssus* 41_{22} 411

prolabi: ad peccata prolabi 27_6 64

proles: perpetuitas quae in persona salvari non potest quaeritur in prole 1_{12} 617; proles inter temporalia bona potissimum reputatur 27_{14} 169; ad prolis sustentationem possessionibus indigetur 1_{13} 618; qui adulterium committit prolem certam subtrahit 31_{12} 143

promittere, promissum: homo quandoque alium superat promissis alliciendo 41_{21} 363, cf. 365; solent exauditi a Deo vota implere quae postulando promiserunt 22_{27} 287; in statu Veteris Testamenti temporalia bona promittebantur 42_{10} 110

promptitudo, promptus: homines solent lumbos praecingere ut sint prompti ad iter vel ad quamlibet actionem 38_9 57; duces bellorum solent esse promptiores ad loquendum 29_{10} 93

pronitas, pronus: non est aliqua condicio hominum cui non adsit pronitas ad aliquod peccatum 5_2 6, 32, *vide* peccatum; sublata reverentia aut timore ad Deum subsequitur pronitas ad vitia Prol. 44

proportio, proportionare: Deus excedit universam proportionem creaturae 11_8 71; concurrens debita proportio virtutis activae ad materiam proportionatam tali speciei 28_1 45; convenientissima proportio caelestium motuum 38_{27} 651, cf. 637. – Proportio: *ratio* 38_{27} 639

propositum: solent homines a suis operibus impediri quando habent in suo proposito debile fulcimentum 24_{17} 177; a proposito suae malitiae diabolus retrahi non potest 40_{13} 382; efficax disputator quandoque propositum taliter firmat quod in contrarium nihil dici potest 12_{17} 287

prosperitas, prosperari, prosperus, prospere: prosperitas successus humani quandoque procedit ex humana providentia, quandoque ex causa superiori scilicet divina providentia 18_8 72, *vide* prudentia, Deus; principium prosperitatis temporalis, post bonam consistentiam personae propriae, consistit in personis coniunctis et praecipue in

natis 1_3 54; consistit temporalis prosperitas in potestate, in corporis sanitate, in exteriorum rerum opulentia, in consiliorum et operum prospero successu 21_{23} 234; qui in dignitatibus constituti sunt maxime prosperari videntur 3_{14} 365; pertinet ad prosperitatem terrenam spatiositas domorum 27_{18} 206; videntur in luce ambulare quibus omnia prospere succedunt ad votum 18_5 62, 66, *vide* felicitas, optare; parvitas et magnitudo est in hac vita secundum inaequalitatem prosperitatis terrenae 3_{19} 422, cf. 21_{26} 264; homines stulti in prosperitatibus nullum dubitant offendere 5_4 73; invidia est tristitia de prosperitate alicuius inquantum aestimatur propriae prosperitatis impeditiva 5_2 26

Prosperitas terrena inter minima bona computatur utpote organice deserviens ad veram hominis felicitatem 8_{12} 196; bona temporalis prosperitatis non sunt in potestate habentium ut possint ea acquirere vel retinere cum volunt 21_{14} 159; nescitur quo status praesentis prosperitatis perveniat 3_{23} 470; quidam prosperitatem huius mundi pro fine habent, quidam ad alium finem tendunt 9_{25} 586; bona quae agimus non referuntur ad prosperitatem terrenam quasi ad praemium 1_{10} 518. – *Vide* bonum, divitiae

Quidam prosperantur usque ad mortem, quidam in miseriis moriuntur 21_{23} 232; prosperitas temporalis non semper est praemium virtutis 21_{14} 141, 17_5 88; impii frequenter prosperantur in hac vita 21_{16} 143, num ergo sit ratio a malitia declinandi 21_{16} 146, *vide* impius; non est contrarium divinae providentiae si mali in hoc mundo temporaliter prosperentur 27_8 87, nec contra divinam iustitiam 29_1 4, cf. 21_{14} 124, *vide* malus; aliquando peccatores sustinentur in prosperitate et non statim condemnantur 33_{30} 343, cf. 8_{19} 298, 24_{23} 274, *vide* peccator; non est universaliter verum ut post paenitentiam homines temporalem prosperitatem recuperent 17_5 86, cf. 36_{12} 111. –Prosperitas: *lucerna* 21_{17} 172, *lux* 18_5 63, 15_{22} 214; claritas terrenae prosperitatis: *fulgor* 11_{17} 250. – *Vide* adversitas; Iob

prospicere: aliquis in futurum adversa prospiciens aliqua adminicula sibi et domui suae contra adversa parat 8_{13} 243; solent homines a suis operibus impediri quando non prospiciunt rei eventum 24_{17} 177.–Prospicientes huc et illuc: *vaganies* 38_{11} 692

prostratio, prosternere: homines consueverunt examinari in prostratione hominum 9_7 208; homines dolentes magis solent prosterni 1_{20} 765

protectio, protegere: vestimentum undique protegit et ornat 29_{14} 131. – *Protectio*: custodia 14_{13} 167; protegere: *vallare* 1_{10} 501

providentia: prosperitas successus humani quandoque procedit ex humana providentia, puta cum homo prudenter et caute singula quaeque disponit 18_6 72; quidam res humanas casualiter procedere dicunt quatinus providentia et consilio humano reguntur Prol. 37. – Providentia hominis: *lux* 18_6 84. – *Vide* Deus

provocare: aliquis provocatur ad disputandum vel contendendum cum aliquo tripliciter 22_2 9; iustum est ut qui alium ad disputandum provocat, etiam ipse paratus sit respondere 39_{22} 339; hoc magnae praesumptionis videtur quod aliquis maiorem se provocet ad disputandum 33_{12} 108

proximus: propter Deum et in Deo proximus diligendus est 6_{14} 195; ab iniustitiis laeditur proximus 8_4 102; in proximum quis peccat occulte per dolum et manifeste per vim 1_1 28; nocumenta proximis illata quandoque per modum calumniae inferuntur sub praetextu iustitiae, quandoque sine aliquo colore iustitiae 22_4 47

prudentia, prudens, prudenter: prudentia ad actionem pertinet 12_{12} 185; qualiter universalia statuta humana sint factis singularibus applicanda relinquitur prudentiae operantis 11_6 80; humana providentia, puta cum homo prudenter et caute singula quaeque disponit 18_6 73; quanto aliquis prudentior est, tanto in statu prosperitatis magis recogitat quae in adversitatis tempore sibi accidere possunt 3_{26} 524, cf. 19_8 73; primarii et consiliarii civitatis aut regni excellere videntur secundum prudentiam in consiliis 12_{19} 310; indicia naturalis cuiusdam prudentiae in animalibus 38_{26} 627

pruina: ros congelatus 38_{29} 504; ex frigore una glacies causatur in aere, quod pertinet ad pruinam de caelo cadentem 38_{29} 513, in qua non apparet tanta virtus frigoris sicut in glacie quae generatur in inferioribus aquis 38_{29} 517

pudicus: sardonyx, ut dicitur, hominem pudicum reddit 28_{16} 207

puer, pueritia: puer nascens 38_8 188; puer mox natus non potest se movere ut discedat a matre 39_4 46; adolescentis patris filios pueros esse oportet 29_3 53. – Pueritia: *aurora* 3_{10} 302

puerpera: in necessariis ad pariendum solent mulieres puerperae ab aliis instrui 39_2 32

pugna, pugnare: est una contentio qua contenditur pugnando et haec est per fortitudinem 9_1 54; in guerra fit praeparatio ad pugnam 38_{23} 445; pugnando pacem acquirens a minus vel aeque potenti 9_4 66; pugna fit hominis ad se ipsum dum ratio renititur ei quod per concupiscentiam vel iram absorpta peccavit 7_{20} 481. – *Pugna*: actualis conflictus 38_{23} 444

pulcer, pulcritudo: pulcritudo in exteriori apparentia consideratur 18_{13} 172; nihil videtur esse pulcrius in corporalibus rebus quam radii solares $4I_{21}$ 367; bona praecipua corporis videntur esse pulcritudo et fortitudo 18_{13} 170; in iuventute homo pollet corporis pulcritudine 13 (14_2) 444, quae nulla est quia cito transit ad modum floris 13 (14_2) 445; propter pulcritudinem solent dona promissa allicere hominem $4I_{21}$ 365; in comparatione ad res pulcerrimas res quae parum pulcritudinis habent videntur immundae 25_4 68

Arboris cum radix fuerit firma pulcritudinem habet in ramis et fructibus 5_3 51; aurum pulcritudinem habet ex splendore 28_{17} 216, vitrum ex perspicuitate 28_{17} 217

pullus: de pullis asinorum 11_{12} 198, corvorum 38_{41} 685, onagri 11_{12} 196, strutionis 39_{16} 184

pulmo: aer qui respirando emittitur in pulmone continebatur $4I_{11}$ 183, in quo calefiebat per calorem cordis qui pulmoni coniungitur $4I_{11}$ 185; cetus habet pulmonem et respirat sicut delphinus $4I_{11}$ 176

pulvis: mors mortuum hominem in pulverem conterit 18_{14} 184, 20_{11} 117, cf. 10_9 225, in corporalem pulverem 40_8 208, qui cinis nominatur 34_{15} 163; in pulverem reduci competit etiam naturali materiae 10_8 221, cf. 14_8 79; terra propter sui siccitatem in pulverem resoluta 38_{38} 666. – *Pulvis*: terra 21_{24} 261

punitio, punire: necesse est quod ipse qui punitur vel sit innocens vel peccator 10_{2} 62; quando sunt multi puniendi, non possunt iudices singulorum causam diligenter perscrutari 34_{25} 289; scire causam suae punitionis necessarium est homini vel ad correctionem vel ut patientius flagella sustineat 10_{2} 58; iusti homines videntes peccata puniri de iustitia laetantur 16_{11} 128; ira in Deo accipitur pro punitione 3_{26} 551, *vide* Deus

Iusti puniuntur ad profectum 24_{20} 248; hoc quod innocentes puniantur non dependet absolute ex malitia diaboli sed ex sapientia Dei permittentis 9_{24} 571, 574; duplex punitio innocentis in humano iudicio 10_{2} 63; impii puniuntur ad exterminium 24_{20} 248, quando ad summum pervenerint secundum mensuram a Deo praevisam 24_{24} 301, absque misericordia 24_{23} 272, cf. 20_{13} 136; pro iniquitate potentes puniuntur a Deo 36_{6} 52; iuste puniri videtur qui alienam uxorem adulterio polluit quod etiam eius uxor ab aliis polluatur 31_{10} 129. – *Vide* adversitas

pupillus: pupilli non audent petere 31_{17} 204; consueverunt homines misereri pupillorum propter defectum aetatis et carentiam sustentationis parentum 24_{3} 34; ex auctoritate divina prohibetur pupillorum oppressio 31_{22} 260

purgare: lignum fructuosum praeciditur ut purgetur 24_{20} 245; angeli purgari dicuntur non ab immunditia sed a nescientia (Dionysius) 41_{16} 288; angeli purgati sunt per separationem a societate diaboli 41_{16} 299, in die iudicii angeli et omnes sancti erunt de cetero purgati per totalem separationem a malis 41_{16} 301

puritas, purus: puritas uniuscuiusque effectus a sua causa dependet 4_{17} 404, secundum quod res in sua conservatur natura 4_{17} 402; effectus suam causam in puritate superare non potest 4_{17} 405; caeli tenent supremum locum puritatis inter corpora 15_{15} 133; secundum maiorem vel minorem puritatem metalla ut plurimum habent diversas origines 28_{1} 24, et diversificantur eorum species 28_{1} 20; duplex est puritas, innocentis scilicet et paenitentis 9_{20} 664; requiritur ad salutem etiam exterior puritas operum 22_{20} 304; puritatem frequenter divitiae obruunt vel etiam minuunt 1_{6} 128; quicquid quocumque modo mundum vel purum est, a Deo munditiam et puritatem habet 13 (14_{4}) 487, *vide* munditia; vir non potest esse purior suo factore, scilicet Deo 4_{17} 406; puritas hominis quantacumque sit ad divinum examen relata deficiens invenitur 9_{20} 658, 665, 13 (14_{4}) 485, cf. 25_{4} 86. – *Vide* Deus

pusillanimis: pusillanimes proni sunt ad invidiam 5_{2} 24, *vide* parvitas

putredo, putrefactio: truncus arboris per putredinem in pulvere redactus 14_{8} 79; germinans arbor ex putredine ligni habente vim sementinam 14_{9} 82; homo quasi ex materia existit putrefactioni vicina 25_{4} 89; ex hominis mortui corpore putredo et vermes generantur 17_{14} 193; vermis ex putredine generatur 25_{4} 90, cf. 30_{17} 194

Q

quadrupes: equus vehementer salit contra morem multorum quadrupedum 39_{20} 232

quaerere: nullus potest quaerens invenire id quod omnino ignorat 23_{3} 36; homines qui fraudulenter propriam utilitatem quaerunt plerumque a sua spe deficiunt 6_{18} 235. – *Quaerere*: facta examinare 31_{14} 170

qualitas: lux est quasi qualitas activa caelestium corporum sicut calor et frigus elementorum 38_{17} 322; calor est qualitas masculina 38_{29} 509, frigus vero feminina 38_{29} 507

quantitas: quare sol aut luna aut terra sit tantae quantitatis 5_{9} 156, cf. 38_{5} 111, 115; quantumcumque quantitates corporeae videntur magnae, deficiunt tamen a magnitudine virtutis Dei 11_{8} 137

querela: non habet homo iustam querelam de Deo si temporalibus bonis spolietur 1_{21} 826; si ex levibus querelis iudex provocetur ad odium alicuius, erit odium iniustum 33_{10} 79

quidam: quidam dicunt quod Deus res inferiores cognoscit in universali, puta cognoscendo naturam entis vel universales causas 22_{18} 121; aliqui negant Deum habere cognitionem et providentiam rerum humanarum propter altitudinem suae substantiae 22_{13} 111, propter distantiam eius a nobis 24_{1} 7; quidam dicunt quod Deus gubernat humana per universales causas quas per se gubernat 22_{14} 149; aliqui posuerunt dispositionem rerum secundum quendam ordinem numeri a Deo procedere 5_{9} 184; aliqui extiterunt qui divinam providentiam auferentes omnia fortunae et casui attribuebant Prol. 8, ponentes mundum casu factum esse et ea quae naturaliter generantur casui attribuentes Prol. 10, 15; qui providentiam negant omnia quae apparent in rebus mundi ex necessitate naturalium causarum provenire dicunt 5_{9} 148; quidam ponebant quod ea quae in terris sunt divina providentia non reguntur sed solum caelestia 22_{14} 141; emersit dubitatio utrum res humanae casu procederent an aliqua providentia vel ordinatione superiori gubernarentur Prol. 26; quidam res humanas casualiter procedere dicunt nisi quatinus providentia et consilio humano reguntur Prol. 37, quidam caelesti fato humanos eventus attribuunt Prol. 39

Quidam ponunt motum caeli et hunc statum mundi in aeternum duraturum 19_{25} 285; quidam dicunt corpora caelestia animata 38_{7} 160; caelestes virtutes se habere sicut duces et principes ex suo arbitrio cuncta agentes aestimaverunt multorum deorum cultores 25_{3} 51; quidam posuerunt superius caeli esse partem orientalem, dextrum autem in parte meridionali 23_{8} 96; quidam asserunt luminaria moveri per excentricos et epicyclos 38_{19} 383, quidam autem per motus diversarum sphaerarum 38_{19} 384; quidam antiquorum situm terrae et aliorum elementorum attribuerunt necessitati materiae secundum quod gravia levibus succident 38_{4} 96; aliqui putaverunt per actionem solis aliquam partem terrae exsiccatam esse 38_{5} 181; spatium aere plenum vulgares homines reputant vacuum 26_{7} 96

Secundum aliquorum expositionem, angelorum creatio duratione praecessit hominis productionem 40_{10} 296; secundum quosdam fuit excellentior Satan inter ceteras creaturas 40_{14} 392; quidam aestimaverunt diabolum non esse Dei boni creaturam 40_{10} 301; aliqui dixerunt quod anima non unitur corpori nisi accidentaliter sicut homo vestimento aut nauta navi 41_{19} 475; quidam posuerunt quod anima est homo dicentes hominem nihil aliud esse quam animam indutam corpore 41_{19} 486; aliqui au-

guriorum sectatores credebant aves augurales effectum sapientiae participare supra homines 28_{21} 258; aliqui a mortuis futurorum cognitionem exquirebant 28_{22} 266

Quidam posuerunt in hac vita ultimam felicitatem esse 7_1 11, cf. 14_{10} 96; alii dixerunt quod homines resurgent resumendo non terrena sed caelestia corpora 19_{26} 295; alii dicebant animam idem corpus quod deposuerat resumpturam secundum condicionem eandem 19_{26} 302, 7_{10} 228, cf. 10_{21} 422; quidam ponebant totum universum corporale istud corrumpendum et iterum reparandum 14_{12} 123, credebant quod rediret eadem res numero 7_{10} 210, ponebant hominem redituram ad eandem vitae seriem quam prius egerat 7_6 137, 7_{10} 207, 14_{12} 125, 16_{23} 307, 19_{25} 286, cf. 11_{18} 258

Secundum quosdam antiquorum species numerorum usque ad decem protenduntur 9_2 36; dicitur felix apud quosdam cui omnia succedunt ad votum 21_{23} 241; aliquibus visum est quod iste Iob non fuerit aliquid in rerum natura Prol. 72; quidam *gaudentque vehementer cum sepulcrum invenerint* referunt ad eos qui thesaurum effodiunt 3_{22} 461

quies, quiescere: quaelibet res adepto ultimo fine quiescit 7_2 57; quies finis laboris esse videtur 14_6 37, cf. 36_{16} 164; quiescere non est nisi subsistentis 3_{15} 376; nox est tempus deputatum humanae quieti 17_{12} 166; malorum multiplicatio procedere potest usque ad infinitum ut numquam sit pervenire ad statum quietis 36_{16} 163. – *Quiescere*: mori 14_6 54; quies ab adversitatibus: *silentium* 3_{13} 351; quies contemplationis: *nox* 35_{10} 109

R

radius: nihil videtur esse pulcrius in corporalibus rebus quam radii solares 41_{21} 367

radix: solent in radicibus quorundam montium defluere immeabiles torrentes 28_4 74; radix spei est duplex, scilicet ex parte auxilii divini et humani 19_{11} 98. – *Vide* arbor

ramus: rami hominis sunt filii et aliae personae coniunctae 15_{20} 300. – *Vide* arbor

rapina, rapere, rapacitas, rapaciter: in rapacitatis culpa duo 20_{19} 212; solent homines aliena rapere ut filiis suis divitias congregent 31_8 113; contingit quod homo adhibet manum ad rapiendum aliena 31_7 104; pauperes quasi quadam necessitate ad rapiendum bona divitum coacti 5_5 82; hi qui rapere consueverunt in hoc ipsum puniri se aestimant quod eis rapere non licet 4_{11} 201; iustum est ut si quis bona aliena rapit, etiam bona eius ab aliis diripiantur 31_8 109, 20_{20} 230, et etiam filii moriantur 31_8 116. – Rapina: *nudatio* 20_{19} 215; rapaciter acquirere: *devorare* 20_{15} 159

rastrum: boves trahentes rastrum terram aratam complanant glebam comminuendo 39_{10} 132

ratio 1.: in speculativis, per ea quae homo intelligit, rationes deducit ad aliquas conclusiones cognoscendas 12_{13} 197; quando homo efficaci ratione convincitur 32_{15} 151; rationem qua disputans operatur cognoscere 15_7 68, et quidem dupliciter 15_7 70; causam sine ratione defendere 26_3 29; homines non ratione contra aliquem condemnatum utentes 26_1 9. – *Caelorum ratio*: proportio caelestium motuum 38_{37} 639

ratio 2.: naturalis ratio immobiliter in homine manet ut non sit necesse eam iterare 33_{14} 150, cf. 38_{36} 622, 625; in vigilando est ratio magis libera 4_{16} 339; per solam rationem nostri actus domini sumus 3_1 33, *vide* liber; ratio fortior est inter omnes animae virtutes, cuius signum est quod aliis imperat 7_{20} 472; in ratione excedimus bruta 35_{11} 113, 4_{10} 168

Ratio condicionem naturae auferre non potest 3_1 7; ratio mortalis hominis quantumcumque fortis ex parte carnis experitur sensum doloris 6_{12} 156; ratio hominis occultos motus passionum in verba producens 10_1 30, cf. 26; per rationem homo potest proprio labore sibi necessaria adiumenta conquirere 5_7 120; quod opus cuilibet tempori congruat discernit homo secundum rationem sibi divinitus datam 37_7 119

Per inquisitionem ratio ab effectibus procedit ad causam 11_7 121; homines per inquisitionem rationis ad sapientiam veritatis perveniunt 28_{27} 339; ratio per modum rationis investigans 12_{17} 269; rationis investigatio ad veritatis terminum non pervenit nisi divinitus doceatur 10_2 56, 39_{35} 377; bonum quod ex aliqua miseria expectatur sola ratio apprehendit 3_3 89; homines sapientes per deliberationem rationis se ipsos consolantur 7_{13} 299, secum loqui possunt secundum rationem aliquid cogitando 7_{13} 304

Omnis inordinatio ex defectu rationis procedere videtur 38_2 52; per superbiam homo praecipue metas rationis excedit 5_2 16; perversitas rationis stultitia est 5_2 23; homo lucem rationis dimittens 18_6 87

Per naturalem rationem discernere possumus bonum a malo 33_{14} 149, 35_{11} 113; semper ratio redit ad suam naturam qua in spiritualia bona tendit sicut in proprium finem 7_{20} 479; quod natura sensibilis patiatur gaudiis et doloribus ratio sic moderatur ut a sua rectitudine non divertat 3_1 10, cf. 4_6 93, 6_{10} 130; dum inter tribulationes hominis ratio recta manet, Deo se subdit et ab ipso remedium praestolatur 10_2 42, *vide* rectitudo

Quandoque defectus invenitur in operibus humanis ex ignorantia propter debilitatem rationis 9_{21} 680; ratio interdum ad modicum absorbetur per inferiorum partium passiones et sic homo peccat 7_{20} 474, *vide* peccatum; passionibus ratio ligatur circa particularia ut ne universalem cognitionem applicet ad agenda 12_{25} 394, cf. 398, et tunc quasi caligat oculus rationis 23_{17} 252; ratio per concupiscentiam obtenebratur 31_9 122; acies rationis est per iram zeli turbata 17_7 111, cf. 5_8 20; impatientiae ratio est cum ratio alicuius adeo a tristitia deducitur quod divinis iudiciis contradicit 6_{10} 128; cum ratio a passione vincitur, homo contra Deum remurmurat et quandoque usque ad blasphemiam 10_2 40; ratio renititur ei quod per concupiscentiam vel iram absorpta peccavit 7_{20} 481; quia ex peccato praeterito inferioribus viribus est addita pronitas, ratio non potest libere eis uti 7_{20} 483, non tamen sic possunt rationem ligatam tenere quin semper rédeat ad suam propriam naturam 7_{20} 477. – Ratio: *vultus* 9_{24} 553; rationis oculus: *facies* 23_{17} 251

ratiocinari: provocatur aliquis ad ratiocinandum cum aliquo ut fiat collatio datorum et acceptorum 22_3 18

rationalis: in creaturis rationalibus invenitur meritum et demeritum propter liberum arbitrium, et propter hoc debentur eis poenae et praemia 7_{18} 274. – *Vide* creatura

rebellare, rebellis: terreni principes maxime detestantur rebelles 40_6 139, cf. 34_{20} 222; superbi quasi Deo rebellant 40_6 136, cf. 24_{13} 138

recidivum: perseverare cavens sibi a recidivo peccati 8_6 100

recludere: in terraemotu contingit quod aliqua aperte recluduntur 38_{14} 280

recordatio: aliquis dies clarus est ex hominum recordatione 3_4 178

rectitudo, rectus, recte: rectum est cuius medium non exit ab extremis 1_7 371, *vide* obliquatio; rectum est iudex sui ipsius et obliqui (Aristoteles) 11_5 36; unumquodque ostenditur rectum per hoc quod suae regulae conformatur 23_{11} 174, *vide* regula

De his quae homo adinvenit rectum iudicium habere ad sapientiam pertinet 12_{13} 199, 12_{16} 243, cf. 34_{22} 397, *vide* sapientia; ille recte iudicat de rerum veritate qui discernit quomodo aliquis decipiatur a veritate declinans 12_{16} 245, cf. 31_6 81

Rectitudo ad iustitiam proprie pertinet 1_1 33, 1_7 370, *vide* ius; convenienter iustis ascribitur rectitudo 1_7 374, 4_6 123; studium iustorum est ad rectitudinem sectandam 12_4 68; ratio a sua rectitudine non divertens 3_3 11, *vide* ratio; in multis homo potest deficere a rectitudine quin contrarietur legi humanitus positae 11_6 82, tunc tamen contrariatur legi divinae 11_8 86. – *Rectum*: fidelia dogmata 42_7 64

rector, regimen: aliter est in humano regimine et aliter in divino 11_6 61; ad rectorem humanarum rerum tria pertinere videntur 9_{11} 292; quidam legem divini regiminis profitentur sed eam opere non sequuntur 22_{22} 242

recuperatio: arboris extirpatae si rami comburantur, nulla spes ultra remanet recuperationis 15_{30} 299, *vide* arbor

reddere: opus iustitiae est reddere unicuique quod suum est 4_{17} 391

redimere, redemptor: a peccato primi hominis per Christum redimendum erat genus humanum 19_{25} 258, pro nobis morientem 19_{25} 260; omnes antiqui ante Redemptoris adventum ad inferna descendebant 21_{13} 115

reditus, redire: non iidem homines per generationes redeunt qui prius fuerunt secundum numerum sed solum secundum speciem 7_9 204, cf. 186; non potest redire homo post mortem ad eundem modum vivendi 20_9 101; reditus ad vitam carnalem quem Iudaei ponunt et quidam philosophi posuerunt 7_{10} 228, cf. 10_{21} 422, 19_{24} 302, 27_{19} 222; quidam ponebant hominem rediturum ad eandem vitae seriem quam prius egerat 7_8 137, 7_{10} 207, 14_{12} 125, 16_{23} 307, 19_{25} 286, cf. 11_{18} 258. – *Vide* reparatio, resumere

redolentia: ad concupiscentiam peccati incendere quasi per redolentiam quandam 41_{10} 173

redundare: omnia quae accidunt in corporali creatura in utilitatem hominum redundant 38_{13} 270; hoc quod iniquus aliis nocet etiam in suum nocumentum redundat 24_{22} 263

refrigerium, refrigerare: aqua cum refrigerio bibitur 34_7 70; imber serotinus refrigerium praestat post aestum diei 29_{23} 221; per pluviam homines refrigerantur 29_{23} 216; nubes roris messoribus refrigerium praestat 29_{19} 184, cf. 7_2 71, 40_{17} 441

regio: auster procedit ex regionibus calidis 37_{17} 253; horizon alicuius regionis infra quam extremitates maris claudi videntur 36_{20} 320; cetus si capiatur toti regioni sufficit 40_{25} 613, cf. 38_{39} 672

regula: quanto regula propinquior est primae rectitudini minus habet de obliquitate 4_{18} 442, *vide* rectitudo; est duplex regula humanae vitae, scilicet lex naturalis et lex exterior divinitus tradita 23_{11} 176, *vide* lex; oportet quod in iudice sit altior sapientia quasi regula ad quam examinentur dicta utriusque partis 9_{33} 714; Dei sapientia est prima regula ad quam omnium veritas examinatur 9_{33} 716, regula omnium legum 36_{22} 246, *vide* Deus

reinserere: idem numero scirpus non reinseritur 8_{19} 287

relevare: qui de omnibus timet non potest sperare quod post oppressionem relevetur 15_{22} 211; in die relevatur animus hominis ex hominum societate et lucis aspectu 17_{12} 171

religio: impii pietatem divinae religionis abiciunt 34_8 82; homines contra pietatem divinae religionis agentes non solum despiciunt divina iudicia sed etiam ea negant vel asserunt iniusta 34_8 78. – *Vide* Deus

reliquia, reliquus: vaporum reliquiae ex quibus nebulae generantur 26_9 126; somnia plerumque sunt reliquiae praecedentium cogitationum 4_{16} 325; ea in quae corpus mortuum resolvitur sunt quaedam reliquiae caloris naturalis 34_{16} 166. – *Reliquiae hominis*: filii vel quaecumque aliae res post eum remanentes 22_{20} 227, cf. 4_{21} 562, 27_{15} 179

remedium: ab inimico non speratur remedium 19_{11} 111; solent aegrotantium afflictiones remediis exterius adhibitis alleviari 2_8 131; remediis quibusdam afflicti solent consolari 7_{13} 296, cf. 42_{11} 128; in adversitatibus remedium invenitur dupliciter 19_7 55, cf. 10_2 42; de remediis contra peccata 4_{20} 544, 4_{21} 549. – *Vide* afflictio, consolatio

remittere: solius Dei est peccatum remittere 7_{21} 495, *vide* Deus

remorsus, remordere: cum conscientia remordet de malo, non sine timore homo perpetrat malum 12_6 111. – Conscientiae remorsus: *vermis* 24_{20} 236

remotus: vultur valde a remotis solet videre 28_7 110; homo non cognoscit quae a remotis fiunt 10_4 139, cf. 22_{13} 127; daemones a remotis quasi ex sola fama divinae sapientiae notitiam habent 28_{22} 279; a remotis impugnare 41_{19} 332, atteri 41_{20} 348

remurmurare: homo contra Deum remurmurans 10_2 40

renes: ex lumbis sive ex renibus semen ad membra genitalia derivatur 40_{11} 328, *vide* lumbi

reparatio, reparare: ea quorum nihil remanet impossibile videtur iterum reparari 14_{11} 102, cf. 14_{18} 251, 14_{11} 107, 14_{18} 270; ea quae non totaliter pereunt reparari posse videntur 14_{11} 100, cf. 15_{30} 297, 14_{19} 272, 20_8 87; quidam posuerunt quod post certas revolutiones annorum homines mortui repararentur ad vitam 19_{25} 286, cf. 14_{12} 123, *vide* reditus

repentinus: repentinum esse videtur ut aliquis qui aliquam rem produxit eam absque causa manifesta corrumpat 10_8 184, 188

replicatio: omnes maiores numeri per replicationem inferiorum numerorum nominantur 9_2 33

reprehensor: quadrupliciter excusatur reprehensor a detractione 6_{25} 278

res (aliquid, quaedam, quaelibet, omnia, unumquodque, etc.): quaelibet res puritatem habet secundum quod in sua conservatur natura 4_{17} 402; unumquodque in suo loco conservatur 40_{7} 185; nullus rebus suis adversatur 41_{3} 30; in comparatione ad res pulcerrimas res quae parum pulcritudinis habent videntur immundae 25_{4} 68; quaelibet res desiderat suum finem 37_{11} 159, adepto ultimo fine quiescit 7_{2} 57; aliquid non simulatur Deo nisi in bono 36_{5} 50; absque necessitate numeralis ordinis res in esse productae sunt 5_{9} 196; quidam posuerunt dispositionem rerum secundum quendam ordinem numeri a Deo procedere 5_{9} 184; aliqua sunt in hoc mundo ad quorum cognitionem nulla inquisitione possumus pervenire 5_{9} 166, vel quorum rationem nullo modo possumus assignare 5_{9} 173, *vide* homo; si omnia ex necessitate principiorum naturalium provenirent 5_{9} 163, ut dicunt illi qui providentiam negant 5_{9} 148; est difficillimum cognoscere quis sit periodus vitae et permanentiae cuiuslibet rei 38_{17} 334; non possumus in corporibus caelestibus cognoscere propriam causam corruptionis cuiusque rei 38_{17} 337; in tempore noctis res visu discerni non possunt 4_{15} 302; pecunia est adinventa quasi mensura commutationis rerum 27_{16} 188; rebus imminens commune periculum 5_{22} 377

Res naturales contemperatae esse videntur ad hominum et aliorum animalium usum 5_{10} 204; in rebus quae naturaliter generantur paulatim ex imperfecto ad perfectum pervenitur Prol. 1; res naturalis quae finis notitiam non habet ab aliquo superiori intelligente ordinatur in finem 9_{b} 116; quod res naturales sint propter finem ostendit mundum regi divina providentia et non omnia agi fortuito 5_{8} 131; quaelibet res naturalis suo desiderio quasi intendit aliquid a Deo acquirere 38_{41} 695. – Res exteriores circa nos sunt quasi extrinsecae 16_{14} 168; res exteriores sunt propter corpus et propter animam hominis 2_{1} 1; in exteriorum rerum opulentia consistit temporalis prosperitas 21_{23} 234. – Omnia quae in rebus inferioribus fiunt ad homines quodammodo ordinantur 37_{7} 112. – Res temporales corrumpuntur ipso cursu mutabilitatis rerum 22_{18} 180; superbia ex abundantia temporalium rerum oriri solet 15_{26} 255; in solis temporalibus rebus spem suam ponentes 22_{16} 179; *vide* tempus. – In ipsis terrenis rebus latet aliquod periculum unde pedes peccatoris capiantur 18_{19} 132; peccator in rebus terrenis quasi in sua parte ultimum finem constituit 24_{18} 204

Ad cognitionem divinorum per res humanas pervenimus 10_{3} 64, *vide* Deus; in rebus humanis excellunt reges secundum potentiam 12_{18} 300, sacerdotes quantum ad reverentiam 12_{19} 307, primarii et consiliarii civitatis aut regni secundum prudentiam 12_{19} 310, philosophi in consideratione veritatis 12_{20} 313, senes in directione iuvenum 12_{20} 320, principes in auctoritate 12_{21} 325; ad rectorem humanarum rerum tria pertinere videntur 9_{11} 292; in rebus humanis indigent iudices instrui per testes 21_{22} 221; in humanarum rerum dispositione quidam prosperantur usque ad mortem quidam vero in miseria moriuntur 21_{23} 232; si res humanae currerent secundum quod earum dispositio videtur exigere 5_{11} 223; multiplex afflictio maxime videtur divinam providentiam a rebus humanis excludere 1_{1} 6, cf. 5_{8} 136; quidam res humanas casualiter procedere dicunt Prol. 37, quidam caelesti fato eorum eventus attribuunt Prol. 39

De rebus antiquis multa fabulose et scribuntur et narrantur 8_{8} 140; homo ex infirma re originem habet 15_{14} 128; ex re modica et fragili magnam fiduciam capiunt adulteri 24_{18} 186; experimentum in rebus particularibus maxime efficax est ad probandum 8_{8} 127; visio diurna est alicuius rei permanentis 20_{3} 85; aqua est maxime formabilis in res vivas 38_{8} 187; de magna re disputatio 2_{1}, 30; periculum personae et rerum 31_{8} 48; non prospicere rei eventum 24_{17} 178

resistere: Deo virtus humana resistere non potest 12_{14} 216, cf. 20_{25} 292, 23_{13} 217; per superbiam maxime homo Deo resistit 15_{26} 249, *vide* superbia; ad resistendum diabolo nulla virtus humana efficax est 41_{18} 328, *vide* diabolus; resistens Leviathan virtuti hominis sed non Dei 41_{14} 231, cf. 41_{16} 282. – *Vide* Deus

resolutio, resolvere: in locis petrosis non est multa vaporum resolutio 39_{28} 308; calore superabundante resolutiones tam siccae quam humidae ad magnam digestionem perveniunt et exinde generantur lapides vel metalla 28_{6} 94, cf. 28_{1} 14, 36, *vide* lapis, metallum; in hominis generatione primo occurrit seminis resolutio 10_{10} 242. – Terminus resolutionis rerum: *universorum finis* 28_{3} 63

respectus, respicere: quanto aliqua sunt altiora tanto humano respectu sunt minus perceptibilia 4_{12} 223; unusquisque libenter respicit id in quo delectetur 22_{26} 282

respiratio, respirare: vita per respirationem conservatur 27_{3} 31, cf. 38; respiratio praecipue fit per nares 27_{3} 34, 41_{11} 178, et etiam per os 41_{12} 187, quae non est adeo congrua 27_{3} 35; aer qui respirando emittitur 41_{11} 183; cetus habet pulmonem et respirat sicut delphinus 41_{11} 176; animalia respirantia vivere non possent in terra non discooperta ab aquis 5_{10} 210. – Respiratio: *spiritus Dei* 27_{3} 37

respondens, respondere: contentio in respondendo et obiciendo consistit 9_{14} 390, *vide* contentio; est disputatio inter duas personas, scilicet opponentem et respondentem 13_{22} 307, *vide* disputatio; in respondente maxime requiritur sapientia ut bene iudicet de auditis 34_{34} 395; cum ad audita clamose et contumeliose aliquis respondet 6_{29} 309; quod aliquis audacter iudici respondeat ex duobus contingit 9_{19} 455; quandonam homini respondeant creaturae interrogatae 12_{9} 141; Deo respondere pertinet ad oboedientiam qua creatura Creatori oboedit 14_{16} 203, *vide* Deus

restituere: cum aliquis iniuriam passus conqueritur iudici qui eum sententialiter restituit et vindicat 19_{7} 63

resumere: quidam dixerunt animam idem corpus quod deposuerat resumpturam secundum condicionem eandem 19_{26} 302. – *Vide* reditus

resurrectio, resurgere: resurrectio mortuorum communis in fine mundi expectatur 14_{12} 132; mortui ad imperium Dei in quendam altiorem statum immutabuntur 14_{15} 204, cf. 196; caro quam anima resumet eadem erit per substantiam sed incorruptionem habebit ex divino munere 19_{26} 312; ex vita divinitatis etiam humanitas Christi reparata est ad vitam resurgendo 19_{25} 265; est primordialis causa resurrec-

tionis humanae vita Filii Dei 19_{25} 276; vita Christi resurgentis ad omnes homines diffundetur in resurrectione communi 19_{15} 268; congregatio fidelium in nocte Dominicae resurrectionis 3_7 240; quidam dixerunt quod homines resurgent resumendo quaedam caelestia corpora 19_{26} 295. – *Vide* mors, reditus, vita

resuscitare: non contradicit narrationi Scripturae de hoc quod aliqui sunt resuscitati ad vitam praesentem 7_{10} 230

rete: in reti sunt diversae maculae 18_8 107; ille qui sponte ponit pedem in reti se praeparat captioni 18_8 103; aves deceptione captae per retia 40_{24} 590

retinaculum: absque retinaculo deduci 8_4 78

retributio: ibi est ultimus finis hominis ubi expectat finalem retributionem pro bonis aut malis 7_1 14; tempus retributionis hominis est in illa vita ad quam resurgendo reparatur 14_6 51, 60

retro: differentia positionis in caelo 23_8 79

revelatio, revelare: aliqui instruuntur ad bonum ex revelatione divina 35_{10} 104; aliqua veritas revelatur quibusdam manifeste, quibusdam vero occulte 4_{12} 230; triplex modus occultationis solet in revelationibus contingere 4_{12} 236; quandoque aliquis revelationem frequentem et diutinam habet, quandoque subitam et transitoriam 4_{12} 257; tempus nocturnum magis est congruum revelationibus percipiendis 4_{12} 270; in somno spirituales revelationes minus discerni possunt a somniis frivolis et consuetis 4_{16} 339; quando alicui fiunt insolitae revelationes in principio timorem patitur 4_{16} 278. – *Vide* apparitio; Deus

reverberare: radii solis ad nubes reverberati 37_{11} 172, etiam ante ortum et post occasum solis 37_{11} 174

reverentia: patri oportet a filio reverentiam exhiberi 19_{17} 160; iuvenes debent reverentiam deferre seniorибus 32_4 59; sacerdotes excellunt quantum ad reverentiam in qua habentur 12_{19} 307; divina providentia sublata nulla apud homines Dei reverentia aut timor cum veritate remanebit Prol. 42, cf. 4_6 80, 6_{14} 193; homines aliquando ex quadam reverentia omittunt ea quae Dei sunt perscrutari 9_{24} 736. – *Demisso capite*, scilicet in signum reverentiae et humilitatis 32_6 61

revolutio: quidam posuerunt quod post certas revolutiones annorum redeuntibus stellis ad situs eosdem homines mortui repararentur ad vitam 19_{25} 286, *vide* reditus; testiculorum revolutiones 40_{12} 342

rex, regius: excellunt reges secundum potentiam 12_{19} 300; inter potestates humanas praecellit regia dignitas 34_{18} 193; regum voluntates maius pondus habent, utpote quorum voluntatem multi sequuntur 12_{24} 376; rex qui praeparatur ad proelium sic angustiatur timore ne perdat quod tamen molitur inimicos destruere 15_{21} 239; rex potens bellum movens in suo regno contra rebellem 9_4 67, cf. 10_{17} 361; quanto citius et insensibilius rex fortem civitatem expugnat tanto magis virtus regis demonstratur 9_5 127; in cingulo regum potentia designatur 12_{18} 303; mors quasi regis plena potestate mortuum hominem in pulverem conterit 18_{24} 184. – Regia dignitas: *arbor* 40_{15} 421

rinoceros: idest unicornis 39_9 117; est animal quadrupes valde forte et ferum, habens unum cornu in fronte 39_9 118

risus, ridere: de illis ridere solemus quae nobis secundum se placent 9_{22} 539; risus gaudii signum est 3_{24} 500, 8_{21} 317

rivus, rivulus: rivis terra irrigatur quorum principium sub terra est 5_{10} 218. – *Rivuli*: distributio bonorum 20_{17} 188

robur: robur alicuius fortitudinis ostenditur ex hoc quod potest aliqua a suo statu mutare 9_7 206. – *Vide* os (ossis)

rogare: non est eiusdem contendere cum aliquo et eum rogare 15_4 36; cum aliquis intantum alteri humiliatur quod eum rogat 40_{22} 566

ros: roris causa est calor resolvens et non permittens congelari vaporem 38_{29} 508; ros ex eadem causa generatur ex qua et pluvia, nec differt nisi secundum multitudinem et paucitatem materiae 38_{28} 498; ros congelatus est pruina 38_{29} 504; nubes roris messoribus refrigerium praestans 29_{19} 184

rudis: homines duri et rudes: *lapides* 5_{23} 396

rugitus: rugitus est leoninae ferocitatis indicium 4_{16} 181; rugitus signum est vehementis tristitiae et quae vix tolerari potest 3_{24} 507; homo ex levi memoria suae miseriae provocatur ad rugitum 3_{24} 510

ruina: domui quae minatur ruinam fulcimenta aliqua adhibentur 8_{15} 247

rupes: rupes excelsi montis quasi semper caligine nebularum obtegitur 28_3 69

S

Sabaei: hostes a remotis venientes 1_{15} 651, quos Iob latrones nominat 19_{12} 113

sabbatum: exigebatur a Deo in Veteri Lege propter beneficium creationis 3_4 171

sabulum: strutio ova sua operit sabulo 39_{14} 168

sacculus: ea quae signantur in sacculo diligenter conservantur 14_{17} 241

saccus: talis habitus est humilitatis signum 16_{16} 211

sacerdos: sacerdotes excellunt quantum ad reverentiam in qua habentur 12_{19} 307

sacrificium: sacrificia etiam ante Legem datam fuerunt 1_5 161; pro gravibus peccatis expiandis antiqui sacrificia offerebant 42_8 66; septenarius sacrificiorum competit ad gravium delictorum expiationem 42_8 69

sacrilegium: est peccatum in Deum 1_1 23, 13_{22} 346, et dicitur proprie *scelus* propter gravitatem 13_{22} 348

saeculum: instabiles seu curis saeculi dediti: *fluvius* 40_{18} 472

sagena: piscium captorum maioribus piscatores implent magnas sagenas 40_{26} 621

sagimen: a capite ceti quadraginta lagenae sagiminis effluunt 40_{26} 641

sagitta, sagittarius, sagittator: impugnat homo a remotis per sagittas 41_{19} 332; sagitta ex remotis et ex improviso venit 6_4 52, ex pharetra extrahitur ad percutiendum 30_{11} 103; sagittarius sapiens directe sagittas emittit ita quod non percutit nisi ad signum 41_{14} 250; sagittae laedunt interius vulnerando 41_{19} 336; cetus non potest perforari vel laedi sagittis 41_{19} 335, 338; motus sagittae convenienter sagittatori attribuitur 9_5 122; comparatur tota naturae operatio ad Deum sicut comparatur motus sagittae ad sagittatorem 9_5 119; fulgura a Deo missa quasi sagittae 41_{14} 252. – *Vide* Deus. – *Sagittae Dei*: divina flagella

30_{11} 105, 41_{14} 257, adversitas 34_6 59, afflictio improvisa 6_4 50

salire: est equi proprietas quod vehementer salit 39_{20} 232

saliva: necesse est in loquendo aliquam modicam pausam fieri ut saliva vel expuatur vel glutiatur 7_{10} 428

salix: circa fluvios solent esse salices 40_{16} 427; salices densiorem umbram faciunt et frigidiorem quam arundines 40_{17} 436

salsugo: salsuginis terra est cuius humor in saporem salis vertitur 39_4 93

salus: ad salutem requiritur interior humilitas et exterior puritas operum 22_{20} 304; ex desperatione quandoque homo salutem et corporis et animae parvipendit 13_{14} 202; Dei voluntas non ad perniciem sed ad salutem hominum tendit 41_1 20, quandoque ex tribulationibus vel spiritualibus defectibus 9_{11} 312. – *Vide* Deus

sanctificatio: est aliquis dies clarus ex Dei sanctificatione qui eum celebrem esse instituit 3_4 162

sanctus: sanctorum claritas in hac vita nobis occulta est 20_{26} 304; Dominus sanctorum vitam vult omnibus esse notam 1_{12} 553; in unoquoque sancto est aliqua virtutis praeminentia 1_8 444; ad misericordiam Dei pertinet quod sanctos suos faciat speciosos 40_5 124; sanctorum angelorum et hominum decor redundat in ornatum Dei 40_5 118, quod hoc decore utatur ad suam gloriam ad iustitiam pertinet 40_5 125; in glorificationem sanctorum cedit bonorum flagellatio a Deo 41_{14} 259; sanctorum vitam conantur pervertere mali 1_8 462, eam calumniantur 1_9 480; spes diaboli de subversione sanctorum frustranda 40_{28} 674; stabilitas sanctorum in Scripturis comparatur montium stabilitati 9_5 92; in die iudicii, sancti revelabunt iniquitatem peccatoris 20_{28} 331, admirabuntur divinam potestatem et erunt purgati per totalem separationem a malis 41_{16} 301, videbunt diabolum cum sequacibus praecipitari in infernum 40_{28} 675. – *Sanctus*: Deus 6_{10} 124; *sancti Dei*: angeli 15_{15} 130; sancti homines: *angeli* 41_{16} 295

sanguis: per *sanguinem* Iob intelligit sui corporis afflictionem 16_{19} 249

sanitas, sanare: sanitas corporis ad temporalem prosperitatem pertinet 21_{23} 234; qui vult sanari oportet quod acquirat medicinas quibus sanetur 9_{26} 614; expectatur sanitas aliquando etiam si ulcera sint neglecta, quando natura est fortis 7_5 114; de sumptione medicinae amarae aliquis ratione gaudet propter spem sanitatis 1_{21} 853, sola ratio in fine sanitatis delectatur 3_3 92

sapiens: per experimentum longi temporis aliquis sapientior redditur 15_{10} 89, inde probabile videtur quod senes sapientius loquantur 32_7 65; sapientes solitarii secum loquuntur 7_{13} 304; sapientis cognitio non pertingit ad essentiam Dei 36_{25} 264, multum vincitur ab excellentia claritatis divinae 36_{25} 272; sapiens voluntatem suam moderatur secundum virtutem 23_{14} 221; sapientes bonorum terrenorum sunt domini, utentes eis ad suum bonum 15_{19} 168; sapientes ab extraneis non suppeditantur 15_{19} 176; hi qui sunt a sapientia alieni consortio sapientum annumerari non possunt 15_{19} 174

Sapiens ex ratione loquitur passionum motus quos sentit 3_1 36, licet tristitiam patiatur eius tamen ratio ab ea non absorbetur 6_7 95, in afflictione per deliberationem rationis se ipsum consolatur 7_{13} 299; Stoici dixerunt tristitiam in sapientem non cadere 1_{20} 737, 3_1 3, 6_4 79; Peripatetici vero dixerunt sapientem tristari sed in tristitiis secundum rationem moderate se habere 1_{20} 740, 3_1 4, 6_{12} 166; sapientes antiqui metrice divina et philosophica describere consueverunt 36_{24} 263. – Sapientes: *viri* 36_{24} 261. – *Vide* Iob

sapientia: proprie est cognitio divinorum 1_{22} 867, 12_2 28, 28_{18} 239, cf. 28_{28} 348; ei opponitur stultitia 1_{22} 867, ad contemplationem pertinet 12_{22} 183; sapientia et iustitia sunt praecipue animae bona 18_4 39; in sapientia consistit honor et ornatus hominis 18_3 30; praeferuntur sapientia et intelligentia bonis terrenis 28_{28} 360; sapientia pretio aestimari non potest 28_{12} 160, 28_{15} 190, 28_{16} 196, non est aliquid corporale 28_{12} 151, cf. 157

In Deo plene sapientia invenitur sicut in prima origine 28_{23} 284, 286, cf. 8_3 53, 26_2 32; in Christo est omnis virtutis et sapientiae plenitudo 3_1 14; sapientia Dei est regula et mensura omnium legum 36_{22} 246

Derivatur sapientia a Deo in omnes creaturas sicut ars derivatur a mente artificis in opere eius 28_{23} 288; per actualem suae sapientiae considerationem Deus res in esse produxit 28_{27} 328, 331; ab ipso sapientia derivata est primo ad angelos 28_{27} 332, quibus enarratur 28_{27} 341, secundo ad universitatem creaturarum 28_{27} 336, quae est quasi secundarius sapientiae locus 28_{23} 292, tertio ad homines 28_{27} 339, quibus indita est cum lumine rationis 38_{36} 622, ab initio fundationis terrae 38_{36} 660; quaedam seminaria sapientiae et scientiae naturaliter indidit Deus rationi hominis in cognitione primorum principiorum 38_{36} 625

Sapientiae humanae origo est occulta dupliciter: ex parte intellectualis luminis, ex parte rerum cognitarum 28_{18} 233; sapientia hominis in Deo est sicut in altissima omnium causa 28_{28} 349, et occultissima 28_{15} 235; acquiritur ex ipsis creaturis 28_{27} 327, per inquisitionem rationis 28_{27} 339, inquirendo occultas proprietates et essentias rerum 28_{18} 237, ex quibus ascendit in divinorum cognitionem 28_{18} 238, cf. 36_{25} 271; ea quae in absconditis profundorum latent maxime sunt sapientiae humanae abscondita 28_{14} 176, 184, *vide* homo; humana sapientia non sufficit ad veritatem divinae providentiae comprehendendam 38_1 5, quasi nihil est divinae sapientiae comparata 37_{24} 373

Est proprium sapientiae ut per eam rectum iudicium habeatur de rebus 12_{14} 243, 12_{13} 199, cf. 34_{34} 395; intellectus (*intelligentia*) est principium sapientiae 28_{12} 156; divina inspiratio est sapientiae praecipua causa 32_9 87, cf. 24_1 18; aetas non est sufficiens sapientiae causa 32_8 78, 32_9 88; humilitas est via sapientiae 5_2 17, principium sapientiae 15_{27} 260; homines non per simplicem apprehensionem percipiunt sapientiam veritatis sicut angeli 28_{27} 340; hominum quidam sapientiam per se ipsos considerant, quidam de his quae ad sapientiam pertinent instruuntur 34_2 11

Sapientia quos praeoccupat, a quibus fugit 24_{13} 130; iusti sapientiam habent 28_{28} 358; superbia sapientiae est impedimentum 15_{27} 261; a sapientiae perceptione impediuntur cor habentes deliciis occupatum 28_{12} 171, habentes sensum per malitiam depravatum 24_{18}

133; peccatores sapientiam odiunt 24_{12} 127, ei rebelles sunt 24_{13} 138, ad eam revertuntur paenitendo 24_{13} 140

Aliqui auguriorum sectatores credebant aves augurales quendam effectum sapientiae participare supra homines 28_{21} 258. – *Sapientia*: industria naturalis 39_{17} 200; sapientia: *Deus* 8_3 54, *lux* 33_{28} 322, *velustas* 15_{10} 88; sapientiae doctrina: *tonitruum Dei* 37_4 87, 40_4 61, *vox Dei* 37_8 70, 37_4 87, 95; sapientiae mandata: *viae luminis* 24_{13} 136; sapientiae processus: *viae luminis* 24_{13} 134, 28_{22} 282. – *Vide* Deus

sapphirus: est caelestis coloris 28_{16} 210, pretiosus propter multas virtutes quas habet 28_{16} 211

sardius: est rubei coloris 28_{16} 202, accendens animum ad gaudium et acuens ingenium 28_{16} 203; per sardium nocumentum onychini refrenatur 28_{16} 206

sardonyx: est compositus ex sardio et onychino 28_{16} 201; proprietatem habere dicitur quod luxuriam depellit, hominem castum et pudicum reddens 28_{16} 207

Satan: inter primas creaturas est conditus 40_{14} 390; inter angelos factus creditur in principio 40_{10} 291; secundum quosdam fuit excellentior inter ceteras creaturas 40_{14} 392; in Scripturis dicitur primus daemonum 1_6 253, sub figura Vehemot describitur 40_{10} 282

Intentio Satanae a Deo est aliena 1_7 333, delectatur in terrenorum dominio 40_{10} 319, *vide* terra; malitia Satanae fuit principium adversitatis Iob 40_{10} 277, cf. 271, et est principium damnationis humanae 40_{10} 278; Satan est princeps perversorum hominum 1_9 480, 2_1 15, omnibus damnatis dominatur 1_7 406; calliditas Satanae ad explorandum quos decipere possit 1_7 365; Satan circuiens et perambulans terram 1_7 390; omnia quae per Satan fiunt divinae providentiae subiecta sunt 1_7 364; Deus in nullo defert Satanae 41_2 32; iustis viris Satan non quantum vult sed quantum permittitur nocere potest 1_{12} 568, cf. 2_6 119

Dicere Dei ad Satan est ei notitiam praebere 1_7 354, cf. 352; respondere Satan Deo est considerare omnia sua divino conspectui aperta esse 1_7 355. – *Satan*: adversarius 1_6 255; *Satanae pasci*: delectari eius 40_{10} 319; *Satanae circuitus*: calliditas eius 1_7 365. – *Vide* Deus, diabolus

satisfactio, satisfacere: ad conversionem requiritur ut homo pro peccatis satisfaciat 8_5 96; non sufficit culpam confiteri nisi sequatur satisfactio 42_6 44; singula peccata convenientibus satisfactionibus sunt expianda 1_5 185; convenit humilis satisfactio ad expiandam superbiam cogitationis 42_6 47; inter satisfactionis opera quasi praecipuum videtur esse oratio 8_5 98; satisfactio infidelium indiget patrocinio fidelis 42_6 76. – *Vide* culpa, offensa, poena; Deus

Saturnus: motus stellae Saturnae tardior quam solis 38_{22} 557

saxum: saxa etiam fortissima exciduntur 14_{15} 256; ceti maximi pendentes ad saxa 40_{24} 625

scelus, sceleratus: peccata commissa directe contra Deum scelera dicuntur 13_{23} 346, cf. 36_5 85, *vide* peccatum; scelerati leves adversitates sustinentes 6_2 39

scientia, scire, scibile: sapientiae et scientiae seminaria 38_{24} 625; intellectus est principium scientiae 28_{12} 156; anima per intellectum scientiam percipit 26_4 48; ad scientias contemplativas plurimum valet auditus 12_{11} 175, *vide* auditus; scientiae contemplativae non consueverunt in somnio revelari 33_{16} 191; scientia non attingit originem pluviarum ut a Deo sunt 37_{16} 229; sublimiorum scientiam non habet homo 38_4 79; scientia humana quantumcumque excelsa non latet Deum 21_{22} 228; non potest homo scire an verum sit quod ei dicitur nisi intelligat quid ei dicatur 23_6 55; scire per certitudinem fidei 19_{22} 250; scientiae dogmata 32_{10} 99. – Scientia speculativa: *disciplina* 33_{16} 190. – *Vide* Deus

scindere: scindere tunicam solet esse tristitiae indicium 1_{20} 753

scirpus: idest iuncus 8_{11} 166, cito crescit et fructificat 8_{16} 258, ad sui conservationem exigit humorem in terra 8_{11} 165, requirit aquam in terra occultatam 8_{13} 203, desiccatur ex subtractione humoris 8_{11} 174, 8_{12} 179, 8_{12} 205, 8_{14} 254; scirporum processus et vita ad speciem tendit 8_{13} 285; potest haberi fiducia de scirpo dupliciter 8_{17} 262

scriptura, scribere: solent ea quae atramento scribuntur per longinquitatem temporis deleri 19_{22} 233; transmittimus sensus et verba nostra in posteros per scripturae officium 19_{23} 228; scriptura in longinquum servatur per aliquam impressionem 19_{22} 234

Scriptura: est moris in sacra Scriptura loqui secundum aestimationem vulgarium hominum 26_7 98, per tempus designare ea quae supra tempus sunt ex aliquibus quae dicuntur in tempore 1_6 290, tempus dici bonum vel malum secundum ea quae in tempore aguntur 3_1 72, res spirituales sub figuris rerum corporalium describere 1_6 224; sacrae Scripturae concordat opinio Peripateticorum de tristitia 3_1 12

scrutator, scrutari: vias Dei homo non potest scrutari 36_{24} 258; Deus est cordium scrutator et iudex 13_2 26, *vide* Deus

scutum: scuta lignea per colligationem adunantur 41_6 97; scuta fusilia sunt continua 41_6 96; squamae ceti ad modum scutorum 41_6 94, peccatores alios in malitia defendentes sunt quasi scuta corporis diaboli 41_6 98

secretum: conscientiae secreta rimatur Deus 16_{20} 271. – *Vide* Deus

sectare: consilium sectandi opera virtutum est acceptandum 21_{16} 158

securitas, securus, secure: qui aliis nocet in se securam vitam agere non potest 24_{22} 263; tyrannus cum quibusdam secure conversans 15_{22} 221; secure cum alio contendens 9_3 26; in montibus silvestria animalia congregantur ad securitatem et otium 40_{15} 417

sedes, sedere: iudices olim in portis sedere solebant 5_4 73; per nubes occultatur caelum sicut sedes alicuius hominis occultatur tentorio 36_{29} 315. – *Sedes Dei*: caelum 35_6 53, 36_{29} 315, 38_{24} 600

seducere: qui sunt astuti in malo blandis verbis et fictis alios seducere solent 5_{15} 266

seges: segetes vento urente siccari et consumi consueverunt 4_9 147; contra animalia quae possent segetes devastare custodia 39_{11} 138; segetes in horreum domini reportandae 39_{12} 153

semel: qui semel peccaverunt proniores esse solent ad iterato peccandum 27_6 62. – *Semel*: sufficienter 33_{14} 136

semen, seminare, sementinus: omnium semina humida sunt 38_8 188; quaedam herbae sine semine producuntur 5_6 104; agricolans operarius semen a domino susceptum serit et multiplicatum reddit 39_{12} 151; sementina vis 14_9 82

Semen est superfluum alimenti 10_{10} 244, ex lumbis sive ex renibus ad membra genitalia derivatur 40_{11} 328; in generatione hominis primo occurrit seminis resolutio 10_{16} 242; se habet semen maris ad materiam quam femina ministrat sicut coagulum in generatione casei 10_{10} 248; semen hominis immundum est non secundum naturam sed secundum concupiscentiae infectionem 13 (14_4) 477. – *Semen*: filii 21_8 60; *dolores seminare*: praeparando calumnias 4_9 142

seminarium: simul cum anima rationali infunduntur divinitus quaedam seminaria virtutum 10_{12} 258; quaedam seminaria sapientiae et scientiae naturaliter indita rationi in cognitione primorum principiorum 38_{36} 625

semita: quorumnam sint semitae involutae 6_{16} 231. – *Semita*: processus 22_{18} 162

senectus, senex, senescere: quod senescit debile est et fini propinquum 41_{22} 414; humor naturalis consumitur propter senectutem 7_6 118; ex senectute corrugatur corpus 16_9 84, *vide* humor, spiritus; lignum senescens non potest attrahere alimentum 14_8 76, cf. 14_{11} 100; omnes homines senectutis tempore affliguntur propter invalitudinem 30_{27} 272; in senectute comparatur homo quasi stipulae siccae 13_{25} 387

Senes propter gravitatem aetatis maturius loquuntur 32_7 68, per experientiam longi temporis multa cognoscere potuerunt 32_7 71, excellunt in directione iuvenum 12_{20} 320; iuvenes debent reverentiam deferre senioribus 32_6 59; *mori senex* pertinet ad diuturnitatem vitae 42_{16} 200. – Senectus: *vespera* 11_{17} 249. – *Vide* antiquitas, experientia

sensus, sentire, sensualis, sensitivus, sensibiliter: homo aliis animalibus similis est in natura sensitiva 6_5 66; naturale est sensibili naturae gaudere et tristari 3_1 8; sensualis pars non habet locum nisi ad corporalia et praesentia 3_{15} 385; sensus corporei et corporalium sunt 10_4 130; homo per sensus corporeos nec omnia corporalia conspicit 10_4 137, *vide* homo; inter alios sensus excedit visus 10_4 136, qui principatum tenet in vita sensibili 7_8 161, *vide* visio; auditus inter omnes sensus est disciplinabilior 12_{11} 175; experimentum a sensu est 12_{11} 172, *vide* experientia; ab occupationibus sensuum in die mens quendam strepitum patitur 4_{13} 272; visiones apparentes vigilanti ab usu exteriorum sensuum alienato 7_{14} 313; somnus fit immobilitatis exterioribus sensibus per vapores ascendentes ad principium sentiendi 33_{15} 165; vis sensitiva non percipit bonum ex miseria 3_2 89; sensus fugit nocivum vel inconveniens 6_6 83; ea quae per sensus interiores apprehenduntur ut noxia cum tristitia recipiuntur 6_9 92; dolor exterior est secundum sensum 16_8 61, *vide* dolor; poena sensus per ignem gehennae 20_{26} 306

Sensibiliter homines percipiunt pluvias 37_{15} 228; vox Dei sensibiliter audita 38_1 35; intentio claritatis et caloris diversificata sensibiliter vel non 38_{24} 457; non apparet sensibiliter quod ad praesentiam maioris luminis lumen solis obtenebretur 25_6 78; secundum id quod sensibiliter apparet quomodo videatur esse caelum ad terram 26_7 83

Sensibilia sunt priora secundum nos, posteriora simpliciter et secundum naturam 12_{14} 205, sunt quaedam intelligibilium signa 37 (36_{33}) 16; per effectus sensibiles in cognitionem intelligibilium devenimus 37 (36_{33}) 17; inter omnes sensibiles effectus spiritualior est lux 37 (36_{33}) 18; divinam inspirationem percipimus cum obumbratione sensibilium similitudinum (Dionysius) 38_1 32

Sensus et verba nostra transmittimus in posteros per scripturae officium 19_{33} 228; sensus litteralis est qui primo per verba intenditur, sive proprie dicta sive figurate 1_6 233; ea quae circa spiritualia intenduntur per figuras sensibiles non ad mysticum sensum pertinent sed litteralem 1_6 229; secundum litteralem sensum hic exponitur liber Iob Prol. 96

Sensum per malitiam depravatum habentes 24_{18} 133; ex persona sensualis partis Iob loquens 3_{16} 383, 39_{26} 370. – Sine sensu: *aeneus* 6_{12} 156

sententia, sententialiter: fervens desiderium peccandi compellit peccatorem contra suam sententiam agere 18_9 124; solent homines loqui contra sententias non intellectas 8_1 7; disputatio determinatur quasi per sententiam iudicii 38_2 38, tunc nihil restat dicendum nisi determinationis sententia reprobetur 38_2 39, *vide* disputatio; ille in iudicio invenitur iustus pro quo sententia fertur 13_{18} 257; sententia iudicis est causa poenae condemnati 3_1 53; iudex sententialiter restituens et vindicans aliquem iniuriam passum 19_7 63

sepelire: sepeliri in terra: *dormire in pulvere* 21_{26} 261

septenarius: septenario dierum omne tempus agitur 5_{19} 320; septenarius est numerus universitatis 5_{19} 321, 42_8 69; septenarius sacrificiorum competit ad gravium delictorum expiationem 42_8 70

septentrio, septentrionalis: Arctos dicitur in graeco pars septentrionalis 37_9 143; si imaginemur motum firmamenti sicut motum unius animalis, oportebit ponere deorsum caeli in septentrione 23_6 85; quidam posuerunt sinistrum caeli in parte septentrionali 23_8 103, *vide* caelum; versus partem septentrionalem sol numquam accedit 23_9 139, inde tenebrosa dicitur 23_9 137, 37_{22} 332; in tenebris septentrionis invenitur fulgor auri 37_{22} 341, *vide* aurum; solent impugnationes insurgere a parte septentrionali 30_{12} 122, ubi habitabant barbarae nationes et homines magis feroces et bellicosi 30_{12} 124; venti septentrionales causant frigus in aere 37_9 132, cf. 38_{18} 364, *vide* ventus. – Septentrionalis pars: *sinistra* 23_9 112. – *Vide* aquilo

sepulcrum: sepulcro includitur mortuus homo 18_{14} 180, in quo iacens tenebras patitur propter duo 17_{13} 188; in sepulcris antiquis consueverunt thesauri inveniri 3_{22} 463. – Sepulcrum: *infernum* 17_{16} 183

sepultura: in sepulturis solemnibus solent viduae plorari 27_{15} 182

sequax: sequaces diaboli 40_{28} 675

serenitas, serenus: immutationes aeris diversae secundum quod aer variatur per tempestatem et serenitatem 38_{22} 427; sive sit tempestas sive serenitas lux suam viam peragit 38_{24} 454; intentio claritatis et caloris cum aer fuerit serenus 38_{24} 457; serenitas subsequens tempestatem 38_{24} 447; aliud opus exercet homo tempore serenitatis et aliud tempore pluvioso 37_7 117

sermo: aenigma dicitur sermo obscurus 13_{17} 249. – *Sermones imperiti*: sermones praesumptuosi et falsi 38_2 51

sero, serotinus: in sero luna semper incipit apparere 38_{20} 562, Venus et Mercurius quandoque de mane, quandoque de sero 38_{22} 564; imber

serotinus refrigerium praestat post aestum diei 29_{23} 221

serra: artifici attribuitur operatio serrae 10_{10} 239

servare: scriptura servata in longinquum per aliquam impressionem 19_{23} 234; turpe est homini cum non servat ad quod alios inducit 4_3 36

servitus, servire, servus: servus est qui non sui causa est 1_8 431; asinus domesticus videtur totaliter humanae servituti deputatus 39_5 67, *vide* asinus; per servitutem perpetuam homo homini subiectus 40_{23} 572; servus ad nutum oboediens domino propter timorem et tremorem 26_{11} 158; Deo servire est inhaerere ei et in ipso spiritualiter habitare 4_{19} 494, *vide* Deus

sexus: sexus virilis ad perferendas molestias invenitur robustior 1_1 10; viduarum consueverunt homines misereri propter fragilitatem sexus 24_3 39

siccitas, siccare, siccus: aer quandoque per siccitatem disponitur 36_{27} 296, 37 (36_{22}) 2; ex sicca exhalatione generantur lapides 28_1 17, 28_6 98; terra propter sui siccitatem in pulverem resoluta 38_{28} 666; terra salsuginis inhabitata propter siccitatem 39_4 93; si evellantur radices arboris de terra necesse est ut siccetur et pereat 19_{10} 94; elephas est animal siccae complexionis 40_{17} 438. – *Vide* ariditas

sidus: siderum ortus et occasus fit per motum caeli 9_7 177, *vide* caelum; siderum cursus certus intellectum gubernantem probat Prol. 20

signare: ea quae signantur in sacculo diligenter conservantur 14_{17} 241

significatio: dicere quandoque refertur ad significationem qua conceptus cordis alteri exprimitur 1_7 336

signum: vestigia signa sunt per viam procedentis 11_7 106; signa gaudii sunt musica instrumenta et humanae vocis cantica 30_{21} 295; sensibilia sunt quaedam intelligibilium signa 37 (36_{22}) 16; bonitatis signa et initia in impio 20_5 40; signa iustitiae in immundo 9_{21} 688

Sagittarius sapiens non percutit nisi ad signum 41_{14} 250; claritas aurorae diversificatur secundum diversas partes elevationis signorum quae sol perambulat 38_{13} 243. – Signa tristitiae: *sulphur* 18_{15} 194; signum exauditionis: *vota reddere* 22_{27} 289

silentium, silenter: disputatio de re magna silenter audienda 21_5 30. – *Silentium*: quies ab adversitatibus 3_{13} 351

silex: silex pretiosior est quam gleba terrae et aurum quam silex 22_{24} 266. – *Silex*: montes lapidosi 28_9 122

silvester: silvestria animalia divina providentia procurantur 38_{27} 491, absque hominum providentia 39_5 65, in montibus congregantur ad securitatem et otium 40_{15} 417; asini silvestres a servitute hominis liberi 39_5 69, *vide* asinus; maxime domesticabile silvestrium est elephas (Aristoteles) 40_{10} 306, *vide* elephas; silvestria loca inhabitat leaena 28_8 119; inter silvestria rinoceros 39_9 117. – Asinus silvester: *onager* 24_5 57, 39_6 69, 71

similitudo: naturaliter homo intelligit quid est bonum ex similitudine divinae bonitatis 23_{11} 178; cum quadam obumbratione sensibilium similitudinum divina inspiratio percipitur in hac vita (Dionysius) 38_2 32; locutio per similitudines: parabola 27_1 13. – Similitudo: *umbra* 10_{21} 452. – *Vide* Deus

simplicitas, simplex: simplicitas proprie dolositati opponitur 1_1 31, 31_6 89; iustorum simplicitas a divitibus contemnitur 12_5 81, tamen suo tempore a fine debito non fraudatur 12_5 83; quandoque simplices per fraudulentiam calumniose laeduntur 29_{16} 147

Homines non per simplicem apprehensionem percipiunt sapientiam veritatis 28_{27} 339. – Simplices instruere: *caeco oculum esse* 29_{15} 139

simul: in productione caelestium corporum simul materia cum forma producta 37_{12} 268; aqua non tota simul cadens sed guttatim 26_8 115, cf. 123; favilla non habens humorem ut simul se teneat 21_{18} 180. – *Simul*: aequaliter 21_{26} 261, non separatim 40_8 197, non successive sed subito 40_8 199

simulatio, simulare, simulator: simulatores praetendunt iustitiam quam non habent 36_{13} 120, cum sint iniqui se iustos profitentur 13_{14} 235, ex hoc ipso gravius peccant 36_{13} 123; ex parvitate animi contingit quod homines sint simulatores 36_{14} 140, inde effeminatis comparantur 36_{14} 139; simulatores non de facili paenitent 36_{13} 126, ab adversitate non liberantur 36_{14} 133

Simulata aequitas est duplex iniquitas 27_8 102; favor captus ex simulatione 20_5 43, 20_8 48; in tempore prosperitatis amicitiam simulantes 6_{16} 231; simulationem Deus magis detestatur 36_{13} 125, *vide* Deus; diabolus simulans homini subici 40_{23} 582. – Simulator: *hypocrita* 13_{16} 234, 27_8 101. – *Vide* calliditas, hypocrita

singularis: lex divini regiminis universa et singularia et minima sub certo ordine dispensat 11_6 72

sinistrorsum, sinistrum: sinistrorsum est differentia positionis in caelo 23_8 79; si imaginemur motum firmamenti sicut motum unius animalis, oportebit ponere sinistrum caeli in oriente 23_8 85; secundum quosdam sinistrum caeli intelligitur pars septentrionalis 23_8 96, *vide* caelum. – *Sinistra*: pars septentrionalis 23_9 112

sinus: quod in sinu absconditur in occulto habetur et firmiter conservatur et carum reputatur 19_{27} 347. – *In sinu*: in occulto cordis 23_{12} 204

situs: situm suum conservant stellae fixae 38_{21} 530; ex diversitate situs planetarum magis intelligitur earum motus 23_8 135; ratio divinae dispositionis designat determinatum situm terrae in partibus universi 38_5 124; quidam antiquorum situm terrae et aliorum elementorum non attribuerunt rationi ordinanti sed necessitati materiae 38_4 96; situm fundamenti comprehendit artifex per extensionem lineae mensuralis 38_5 120

societas, socialiter: delectantur vivi in societate humana ordinata 10_{22} 481; in die relevatur animus hominis ex hominum societate 17_{12} 171; non omnes mali omnibus socialiter concordant 41_7 110; societas hominum obliviscitur mortui, gaudet in successoribus 8_{19} 289; bonorum angelorum societas in nullo detrimentum est passa ex eductione diaboli 26_{12} 194; per separationem a societate diaboli purgati sunt angeli 41_{16} 299

sol: solis magnitudo non potest assignari ex aliquo principio naturali 5_9 156; sol a Deo movetur 38_{28} 496, suo proprio motu movetur ab occidente in orientem 38_{22} 559, numquam accedit versus septentrionem 23_9 139; solis motus ad alias stellas planetas 38_{28} 557, *vide* stella, planeta; sol est causa diei 14_6 31, *vide* dies; per motum caeli fit solis ortus et occasus 9_7 177, *vide* caelum; secundum apparentiam tantum sol

aliquando non oriri videtur 9_7 182; quando sol est in signo velocis ascensionis cito oritur 38_{12} 245, cf. 243, *vide* diluculum; claritas solis apparet in aere ante ortum solis et etiam post occasum, propter reverberationem radiorum solis ad nubes 37_{11} 174; ex dispositione divina sol occultatur a nobis per tenebras noctis 28_3 57, *vide* tenebrae

Nihil videtur esse pulcrius in corporibus quam radii solares 41_{21} 367; ex radiis solis reverberatis ad nubes resplendet lumen in aere 37_{11} 171; solis lumen non obtenebratur sensibiliter ad praesentiam maioris luminis 25_5 78; luna et stellae ad praesentiam corporalis solis obfuscantur 25_5 80; claritas diei aufertur ex subtractione solis, ut patet quando sol eclipsatur 3_4 187, ex oppositione nubium occultantium radios solis 3_5 190, 37 (36_{32}) 10; calor solis numquam pertingit inter convalles montium 28_3 72; aquilo causat frigus propter remotionem solis a plaga caeli quae vocatur Arcturus 37_9 146; pars meridionalis calidior est propter solis propinquitatem 38_{18} 366; viriditas scirpi deficit sole desiccante terrae humorem 8_{16} 254; propter solis exustionem humor terrae in saporem salis conversa 39_6 95; utile est frumento quod aliquando nubibus obumbretur ne desiccetur continuis solis ardoribus 37_{11} 165; aliqui putaverunt per actionem solis aliquam partem terrae exsiccatam esse 38_8 181

Metalla generantur ex vaporibus humidis resolutis a terra per virtutem solis et aliarum stellarum 28_1 14; sol et alia caelestia corpora sunt proxima causa efficiens generationis pluviarum 38_{28} 497; solent venti gyrum quendam facere sequentes motum solis 37_{13} 183; secundum circularem motum solis annuum, circulatio quaedam fit in dispositione aeris 7_9 197

Caelestes virtutes per illuminationem divinam diriguntur sicut homines per hoc quod super eos surgit lux solis 25_3 56; secundum astrologos nativitas diurna est laudabilior, principaliori sidere existente super terram, idest sole 3_3 120. – *Sol*: tribulatio 8_{16} 261

solatium: solatium in adversis minuit dolorem 6_{13} 173; solatio virorum destitutae viduae 24_3 39

soliditas, solidare: soliditas maxima est per veritatem 31_5 73; dicuntur vana illa quae soliditatem non habent 31_5 72; nubes soliditatem non habent 36_{28} 304; ex percussione malleorum incus magis solidari videtur 41_{16} 276

solitudo, solitarius: elephantes in solitudinibus manent (Aristoteles) 40_{16} 425; solitudo habitationis onagri 39_7 96; sapientes quando solitarii sunt magis secum loqui possunt 7_{13} 304; Dei solitudo 23_{13} 212, *vide* Deus

sollicitudo, sollicite: requiritur quod aliquis tota mente sollicitudinem adhibeat ad Deum imitandum 23_{11} 189; sollicitudo divina demonstrat esse aliam vitam hominis 7_{18} 414, cf. 409, *vide* Deus; illi qui multa sibi inordinate congregant nimia sollicitudine affliguntur 20_{28} 254; sollicitudo inefficax causat dolorem 9_{28} 641.–Obstaculum ex sollicitudine humana: *ianua* 30_{14} 163; sollicite excogitata peccata: *adinventiones* 20_{18} 207

solutio: dolor secundum sensum, puta ex solutione continui proveniens 16_8 61

somnium: somniorum causa naturalis est sopor 33_{15} 163; somnia dormienti apparent 7_{14} 312, plerumque sunt reliquiae praecedentium cogitationum 4_{16} 325, nec sunt magnae significationis 4_{16} 328, irreparabiliter transit eorum cognitio 20_8 75

Aliquando propter nimiam commotionem fumositatum et humorum omnino non apparent somnia 4_{16} 312, vel apparent somnia perturbata et instabilia sicut in febricitantibus 4_{16} 315, 33_{15} 170, et absque significatione existentia 4_{16} 318; cum humores et fumositates resederint apparent somnia quieta et ordinata 4_{16} 319; homines maxime ordinata et significativa somnia vident quando quiete dormiunt 33_{15} 169; huiusmodi somnia solent esse veriora 4_{16} 322; scientiae speculativae non consueverunt in somnio revelari 33_{17} 191; frequenter homo in somniis corripitur de peccatis commissis 33_{17} 193. – *Vide* phantasma

somnus: fit immobilitatis exterioribus sensibus per vapores ascendentes ad principium sentiendi 33_{15} 165, per soporem 33_{16} 177; frequentius in somno homo videt illos cum quibus consuevit conversari 4_{16} 327; in somno spirituales revelationes minus discerni possunt a somniis frivolis et consuetis 4_{16} 339; est gravius pati somni defectum in nocte quam in die 17_{12} 170; post somnum tristitia mitigatur 7_{12} 297. – *Somnus*: mors 3_{19} 349

sonare: misereri secundum quod misericordia in passionem sonat 10_3 87

sonus, sonitus: sonus tonitrui causatur dum ex ventis nubes impelluntur 38_{25} 468, *vide* tonitruum; aqua maris sonum facit 3_{24} 509; sono instrumenti vigiles declarant propinquitatem diei 38_{27} 641; sonus hastae et clipei equum non stupefacit 39_{22} 257; Deus loquens corporeo sono formato in subiecta creatura 1_7 344, cf. 37_2 61, *vide* Deus

Sonitus caeli ex quo gallus discerneret ad cantandum 38_{37} 644; ex motu caelorum Pictagorici posuerunt sonitum harmonizatum provenire 38_{37} 651; talis consonantia sonorum vocari posset concentus caeli 38_{37} 654; Aristotiles probat quod ex motu caelestium corporum nullus sonitus procedit 38_{37} 656

Sophar: *vide* Iob

sopor: causatur somnus immobilitatis exterioribus sensibus per soporem 33_{16} 177, quod fit per vapores ascendentes ad principium sentiendi 33_{15} 164

sordidus: homo qui sapientia caret videtur sordidus 18_3 29; signa tristitiae demonstrare quantum ad nigras et sordidas vestes 18_{15} 190

soror: sorores frequenter despiciuntur a fratribus 1_4 116

sors: sors hominum post mortem quantum ad corpus aequalis erit 21_{26} 257; sors peccatoris maledicta 24_{18} 207

spargere: *lux sparsa*: indifferenter effusa 38_{24} 460; verba inordinate spargere: *iactare verba* 18_2 15

spatium, spatiositas: sub superiori hemisphaerio caeli nihil nobis apparet nisi spatium aere plenum, quod vulgares homines reputant vacuum 26_7 95; in pluviis mirabile est quod longo spatio terrarum superfunduntur 36_{28} 308; ad longum spatium vestigium navis transeuntis relinquitur 41_{23} 402; pertinet ad prosperitatem terrenam spatiositas domorum 27_{18} 206

